

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CLXXIV. Christus Ad Dilectionem Discipulos Exhortatur Et Trinam
Petri Negationem Praedicit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

CAPUT CLXXIV.

CHRISTUS AD DILECTIONEM DISCIPULOS EXHORTATUR ET TRINAM PETRI NEGATIONEM PRÆDICIT.

Luc. 22. v. 31. Johan. 13. v. 33.

RATIO ORDINIS.

Ontentioni Apostolorum de primatu, ejusdemq; per Christum factæ amabili compositioni subijcit Lucas prædictionem Christi de trina Petri negatione, sed ex Johanne manifestum est, illi præmittendam esse exhortationem Christi ad mutuam dilectionem. Quæstio verò duplex hic oritur, 1. Utrum prædictio negationis Petrinæ, quam describit Lucas, sit eadem cum ea, quam describit Johannes, 2. Utrum sit eadem cum ea, quam describunt Matthæus c. 26. v. 34. & Marcus c. 14. v. 30. Quod ad priorem quæstionem attinet, ad eam respondemus affirmando, optimè enim relatio Lucæ cum relatione Johannis ita conciliari potest, ut una eandemq; negationis prædictio utrobique describi intelligatur, sicut postea in Harmonica coagmentatione ostendemus. Quod ad posteriorem quæstionem spectat, ad eam Maldonat. itidem affirmando respondet in comm. c. 26. Mat. v. 31. sic scribens: *Quod Matthæus & Marcus dicunt, omnes vos scandalum patiemini, aut Christus postquam Petro privatim dixisset, quod scribit Lucas, ad omnes conversus omnibus dixit, aut quia quod Petro dicebat, omnibus dicebat, Matthæus & Marcus non verba, sed sensum Christi retulerunt. Idem in c. 22. Luc. v. 31. Hoc (ait autem Dominus Simoni: Ecce Satanas expetivit vos &c.) alii Evangelistæ non narrant, cum Petri responsum narrent aliâ factâ occasione, quod Christus dixisset: Omnes vos scandalum patiemini. Sed est verisimile, Christum primum ad Petrum tanquam ad ceterorum Apostolorum Principem conversum dixisse, quod scribit Lucas: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, deinde adjecisse, quod Matthæus ait: Omnes enim scandalum patiemini in ista nocte. Eadem est sententia Jansenii in Concord. c. 133. & Salmeronis, qui idem probant ex eo, 1. Quod Evangelistis in more positum sit, cum unum atq; idem narraturi sunt, diversâ occasione ad ejus pervenire relationem. 2. Quod intolerabilis fuisset Petri arrogantia, si post tertiam negationis prædictionem, quæ est apud Matthæum & Marcum, ausus fuisset adhuc dicere: Etiam si oportuerit tecum mori, tamen non negabo te. 3. Quod Ammonius Alexandrinus in sua Harmonia eandem sententiam sequatur. Juxta hanc hypothesein statuendum foret, vel Lucam & Johannem anticipatione, vel Matthæum & Marcum recapitulatione, usos esse. Sed Augustinus rectius statuit, prædictionem negationis, quam Lucas & Johannes describunt, distinctam esse ab ea, quam Matthæus & Marcus commemorant. Facile, inquit, lib. 3. de consens. Evang. c. 2. possemus intelligere aut illos duos (Matthæum & Marcum) eâ recapitulando posuisse, aut istos*

(Lucam & Johannem) præoccupando, nisi magis moveret, quod tam diversa, non tantum verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumptionem proferret, vel cum Domino, vel pro Domino moriendi. Hanc sententiam confirmat 1. Diversitas loci ac temporis. 2. Diversitas occasionis & verborum. 3. Petri Deprecatio & confidentia. 4. Ejusdemque repetita negatio & confessio. Confer ea, quæ inferius dicentur in posterioris prædictionis à Matthæo & Marco descriptæ explicatione. Argumenta, quæ in contrarium adducuntur, non sunt cogentia. 1. Hic non solum diversitas occasionis & verborum, sed etiam diversitas temporis & loci in prædictione negationis occurrit. Utrique ergo est diversa prædictio. Frustra excipitur, particula τὸν apud Matthæum in genere significare, quod in illo tempore, videlicet in ultimâ nocte, Dominus Petro negationem prædixerit, cum Matthæus adverbium illud frequenter sic ponat, ut non ordinem dicendorum cum iis, quæ paulò antè dicta, significet, sed simpliciter sit idem, quod in illo tempore, & temporis alicujus demonstrat latitudinem. Nam series textus ostendit, à Matthæo & Marco primum describi ea, quæ in cœnaculo sunt gesta, ac postea demum illis subijcit, quæ in via ad montem oliveti à Christo dicta. 2. Non est improbabile, Petrum ardore animi impulsus suæq; fragilitatis oblitum, non semel, sed bis constantiam promississe, & verbis Christi negationem prædicentis contradixisse, cum firmiter secum constituerit mori potius quam negare. Si Petrus prædictioni negationis gravi asseveratione à Christo confirmatæ contradicere fuit ausus Mat. 26, 35. Marc. 14, 31. quidni etiam aliquoties præsumtuosam suam promissionem repetere ausus fuerit? 3. Ammonius Alexandrinus in Harmonia solum scribit, Christum trinam negationem Petro prædixisse, quoties prædixerit, minimè refert. Tatiano Alexandrino rectius hæc sententia tribueretur, is enim in sua Harmonia disertè indicat, Christum semel tantum negationem prædixisse. Sed huic Tatiano alii ex veteribus opponi possunt, qui contrarium statuunt, ac cum primis series descriptionis apud Evangelistas, quam contra Jansenium, Salmeronem & Maldonatam hic rectè urget Barradius. Potest autem hæc Historiæ series apud Lucam & Johannem de multis utiliter nos monere. 1. Apud Lucam magnifica illi promissioni, quod Apostoli, qui cum Christo in tentationibus constantes hæctenus permanserant sint cum ipso super mensam suam manducaturi ac bibituri, quin & super thronos sessuri ad duodecim tribus

tribus *Israël* iudicaturis, subiungitur tristis querela, quod *Satan* expetiverit *Apostolos* cribrare sicut *triticum* videlicet ut fidem ipsis excuteret ac in exitium eos præcipitaret, id quod etiam obtinisset, nisi *Christus* suâ intercessione conatibus *Satanæ* restitisset. Hac querelâ, eidemq; additâ *Petrinæ* negationis prædictione fiduciam propriarum virium in ipsis deprimere voluit, ne suis viribus, operibus ac meritis ad tantam gloriam se pervenire posse staterent, sed virtute *Dei* à *Satanâ* insidiis tutos præstari & ad salutem custodiri agnoscerent. 1. *Petr.* 1. v. 5. *Beda* in c. 22. *Luc.* Ne gloriarentur undecim *Apostoli*, & suis viribus tribuerent, quod soli penè inter tot millia *Judeorum* dicerentur in tentationibus permansisse cum *Domino*, ostendit & eos, si non iuvantis se *Domini* essent opitulatione protecti, eadem præcellâ cum cæteris potuisse ceteri *Theoph.* ibid. Itaq; quia proditori vix adjudicatum est, illorum autem, qui permanserunt in amore erga illum, tantum prædixit fore honorem, ut ne extollantur, quasi magnum quiddam fecissent & permansissent in caritate, ac non prodidissent, *Satanas* vos, inquit, petivit cribrare, sed ego rogavi. Ne exillimetis, inquit, quod vestrum sit totum hoc bonum opus. *Diabolus* enim valde urget, si possit vos ab amore mei depellere & ostendere proditores. Ad *Petrum* autem verba hæc dirigit, qui reliquis audacior erat, & probabile est superbis in his, quæ à *Christo* promissa erant, & dicitur & reprimat eum dicens: *Satanas* quidem fuit multum studium contra vos, ego autem oravi pro te. 12. Quemadmodum *Christus* prædixerat *Apostolis* læta de manducatione & bibitione in regno cælesti, & sessione super thronos, ne animis nimium concederent, sed spe cælestis illius gloriæ omnia hujus mundi pericula & adversa fortiter superarent: ita jam prædicit tristitia, de *Satanâ* adversus ipsos furore & nocendi cupiditate, de *Petri* negatione proximè instante, ne animis ultra modum efferrerentur, sed considerata propriarum virium imbecillitate sub *Dei* manu se humiliarent. 1. *Petr.* 5. v. 6. & ipsius præsidium in verò timore expeterent. Ubique enim verè pii in *Scripturis* sic describuntur, quasi in *Deum* sperent benignitate ejus nixi, & tamen *Deum* timeant propriis suis viribus diffisi. Cum fide in corde piorum semper conjunctus esse debet timor filialis, ne pro fide & fiducia *Spiritus* carnalis & confidentia propriarum virium ipsis obrepant. 1. *Cor.* 10. v. 12. *Phil.* 2. v. 13. *Bernh.* ferm. 3. in *Pl.* Qui habitat. Latos vos esse volo, sed nondum securos, gaudentes in *Spiritu*, sed tamen paventes ad huc & caventes à recidiva. 3. *Judas* à cœnaculo jam abierat & per manifestam apostasiam à *Christo* ad *Pontifices*, *Pharisæos* & *Scribas*, juratos *Christi* hostes, sese contulerat, quod evidens argumentum erat, *Satanam* in ipsam intrasse, à quo captivus & laqueis ejus confusus tenebatur juxta ipsius voluntatem. 2. *Tim.* 2. v. 26. Sed ne *Apostoli* existimarent, *Satanam* optimâ hac prædâ contentum nihil contra ipsos moliri, nihil periculi à *Satanâ* insidiis sibi esse metuendum, ideo difertis verbis addit, quod *Satanas* eos expetiverit, ut cribraret eos sicut *triticum*, id est, ut eodem modo ipsos concuteret, fidem eis excuteret, & in exitium secum ipsos abduceret, quò *Judam* abducturus erat. Ostendit igitur, quibus oculis & quo animi affectu horribilem aliorum apostasiam & gravissimam illam crimina, in quæ multos præcipites dari videmus, intueri debeamus, videlicet ut in eorum exemplo *Satanæ* insidias & potentiam a-

gnoscamus idemq; periculum nobis metuendum esse discamus, nisi *Christi* intercessione & virtute incolumes conservemur, quam proinde seriis gemitibus continuè imploremus. 4. *Christus* laudaverat *Apostolos*, quod permanserint secum hætenus in his tentationibus. Sed jam subiungit, *Satanam* postulavisse, ut eos cribraret, quemadmodum olim *Job* ad tentationes depoposcit. *Job.* 1. v. 11. ut tentationum impetu à *Christo* eos avellere posset. *Stapulensis* in c. 22. *Luc.* In tentationibus, quæ hætenus præcesserant, *Apostoli* non reliquerant *Dominum*, sed brevi futurum erat, ut non permanerent cum eo, sed ipsum relinquerent omnes, adeò terribilis futura erat tentatio. 5. Apud *Johannem* immediatè præcedit concio *Christi* de sui glorificatione proximè instante. Nunc clarificatus est filius hominis & *Deus* clarificatus est in eo. Si *Deus* clarificatus est in eo, & *Deus* clarificabit eum in seipso, & continuo clarificabit eum. Huic concioni subiungit prædictionem suæ passionis proximè imminentis. Adhuc modicum vobiscum sum &c. Confirmat ergò his verbis, quod paulò antè dixerat, tempus suæ glorificationis jam præsto esse, quo sensu etiam superius dixerat, *Joh.* 7. v. 33. Adhuc modicum tempus vobiscum sum & vado ad eum, qui misit me v. 34. quæretis me & non invenietis. c. 12. v. 35. Adhuc modico tempore lumen vobiscum est, ambulate, dum lucem habetis. Ac paulò post discipulis dicit. c. 16. v. 16. Modicum & non videbitis me. 6. Dixerat *Christus* de sui glorificatione, jam subiungit concionem de sua passione & morte, ut *Apostoli* intelligerent, passionem & mortem ipsis fore viam ad gloriam, *Luc.* 24. v. 26. 1. *Petr.* 1. v. 11. neq; hoc nomine nimio opere turbarentur, si viderent ipsum ad passionem & mortem rapi, ac sibi etiam ipsis viæ passionis & crucis aliquando insistendum esse, sed contra quævis adversa fidei robore munirentur. Non agit de suo abitu, antequam de sua glorificatione prius aliquid præmississet, ut hac ratione moderatius ferrent nuncium de suo abitu, id est, passione & morte, quia ad gloriam eam cessuram esse præmoniti erant. 7. Ideo etiam concioni de sui glorificatione prædictionem passionis & mortis suæ subiungit, ne discipuli concionem de glorificatione sensu carnali de gloria quadam temporali & regno terreno acciperent. Cum enim ipse *Rex* à discipulis abiturus ac moriturus sit, ex eo facile intelligere poterant, nec concionem de sui glorificatione, nec promissionem de *Apostolorum* super thronos sessione sensu carnali de terreni cujusdam regni felicitate & gloriâ esse accipiendam. 8. Glorificatio erat præcipuus fructus passionis & mortis *Christi*. Postquam ergò in verbis proximè præcedentibus de hoc fructu suæ passionis & mortis vaticinatus erat, jam de ipsa morte sua proximè instante agere incipit, sicut etiam in c. præcedente *Joh.* 12. v. 23. & 24. hac duo immediatè conjunxerat: Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, copiosum fructum affert. 9. Præceptum dilectionis itidem optimo ordine præcedentibus subiungitur. Dehortatus fuerat *Christus* discipulos ab ambitione & superbia, ex qua contentio de primatu inter ipsos fuerat orta, jam commendat ipsis caritatem, quæ mater est concordie & humilitatis. Cum humilitas locum habere nequeat, nisi adfit mutua dile-

dilectionis affectus. Ut enim *inter superbos semper sunt jurgia* Prov. 13. v. 10. ita inter eos, qui caritate invicem sunt devincti, vera viget concordia, exultat contentio & contentionis mater ambitio, inde Apostolus Roman. 12. v. 10. hæc duo immediate conjungit, τῆ Φιλὰδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους Φιλόσοργοι, τῆ τιμῆ εἰς ἀλλήλους προσηγόμενοι. Rectè igitur morbo ambitionis & contentionis, quo Apostoli laborabant, opponit Christ⁹ antidota humilitatis & caritatis. 10. Præcipua causa, quæ Christum impulit, ut pro genere humano mortem subiret, fuit ardens ipsius dilectio. Joh. 15. v. 13. Galat. 2. v. 20. Apoc. 1. v. 5. Quia verò ipsius seria voluntas est, ut hanc dilectionem pro suo modo ac modulo discipuli ipsi imitentur, ideò non solum pedum lotionem, sed etiam difertâ jussione, adeoq; non solum exemplo, sed etiam verbo dilectionem discipulis commendare voluit, quando horam mortis ex dilectione subeunda instare animadvertit. 11. Magnum erat caritatis argumentum, quod Christus discipulorum de primatu invicem contententium infirmitatem patienter toleraverat, ac benignè eos informaverat, hoc dilectionis exemplum Apostolis imitandum proponit, ut ipsi quoq; invicem sese diligant & ex dilectione infirmitates proximi patienter ferant. 12. Dixerat Christus ad Apostolos: *Ego dispono sive lego vobis regnum meum.* Huic suæ testamentariæ dispositioni per mortem confirmatâ includit Testamentum dilectionis, quam paulò ante Eucharistiæ institutione itidem ipsis commendaverat. Quisquis ergò bonorum in Eucharistia legatorum & regni celestis Apostolis legati cupit esse particeps, verâ fide promissa illa bona sibi applicet, ac fidem per dilectionem testetur. *Vera enim fides efficax est per caritatem.* Gal. 5. v. 6. 13. Quemadmodum parentes peregrè abitura vel morituri filios suos ad concordiam hortantur: Sic Christus à discipulis suis abiturus dilectionem & studium concordia eisdem commendat. Ac veluti Magister discipulis certam doctrinâ & morum regulam præscribit: ita Christus unicus Magister

noſter brevem quidem sed summè necessariam & sufficientem vivendi normam ante suum ex hac vita discessum Apostolis & nobis omnibus præscripsit. 14. August. tract. 64. in Joh. aliam tradit connexionis rationem. *Cum superius dixisset, Continuo glorificabit eum Deus &c. quod sine ulla ambiguitate de sua resurrectione continuo futura restat us est, adjecit atque ait: Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Ne putarent ergo discipuli, quod sic eum clarificaturus esset Deus, ut non eis jungeretur ulterius eâ conversatione, quâ in terra est, adhuc modicum, inquit, vobiscum sum, tanquam diceret: Continuo quidem resurrectione clarificabor, non tamen continuo ascensus in caelum, sed adhuc modicum vobiscum sum.* Similia occurrunt apud Bedam in h. l. sed ostendimus inferius, Christum hic non loqui de conversatione, quâ post resurrectionem per dies quadraginta cum Apostolis adhuc erat conversaturus, sed de illa exigui temporis & paucarum horarum conversatione in corpore mortali, quâ ante suam passionem & mortem adhuc cum ipsis erat futurus, postea verò per hostium violentiam ab illis separandus. Nec illud in his verbis Christo propositum est docere, quod non statim sit à discipulis separandus, sed potius contrarium, quod post paucas horas ab ipsis separandus, sicut exponit c. 16. v. 16. *Modicum & non videbitis me.* 15. Salmeron fingit ejusmodi connexionis rationem. Postquam Christus contentionem de primatu inter Apostolos ortam sopiverat, voluit ostendere, quisnam ipsorum esset primus atq; omnium princeps. *Non satis fuit (inquit) contentiosam ambitionem discipulis adimere, nisi fomenta contentionis auferret, insinuando eis quis futurus esset eorum caput & princeps per verba, Ego rogavi pro te Petro, ne deficiat fides tua, & tu conversus confirma fratres tuos.* Sed ostendimus superius, Christum omnibus omninò Apostolis politicum dominatum & Monarchicâ in reliquos potestatem derogare. Petro ejusmodi principatum hisce verbis collatum esse, sine Scripturâ & sine ipsius Petri suffragio dicitur, ut infra manifestum faciemus.

CHRISTI AD DILECTIONEM MUTUAM EXHORTATIO ET TRINÆ NEGATIONIS PETRI PREDICTIO.

LUC. 22.

31. Εἶπε δὲ ὁ Κύριος· Σίμων, Σίμων, ἰδὲ ὁ Σατανᾶς ἐζητήσῃ τοὺς υἱοὺς σου, ἵνα σου καταστήσῃ τὸν σκῆνον.
 32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σε, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου, καὶ σὺ πῶτε ἐπιστρέψῃς πρὸς τὸν Θεόν σου.
 33. ὁ δὲ εἶπον αὐτῷ· Κύριε, μετὰ σε εἶμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι.
 34. ὁ δὲ εἶπε λέγων· σοι, Πέτρε, εἰ μὴ φωνήσῃ σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρεῖς ἀπαρνησῇ μὴ εἰδέναι με.

31. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum.*
 32. *Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*
 33. *At ille dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.*
 34. *At ille dixit: Dico, tibi, Petro, non canet hodie gallus, priusquam ter abneges, te nosse me.*

JOH. 13.

33. Τεκνία, ἐπιμικρὸν μέθ' υἱῶν εἰμι. Ζητήσατέ με, καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι ὅσα ὑπέγω ἐγὼ, ὑμεῖς & δύνασθε εἰσελθεῖν, καὶ ὑμῖν λέγω ἀρτί.
 34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

33. *Filioli adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Judæis, quod ego vado, vos non potestis venire, ita & vobis dico nunc.*
 34. *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.*

33. Ἐν τῷ τῷ

35. Ἐν τῷ τῷ γινώσκοντες πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταὶ ἐσθε, εἰάν ἀγάπῃν ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.
36. Λέγει αὐτῷ Σίμων Πέτρος. Κύριε, πρὸς ἑπάγειας; Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. ὅπως ἐγὼ ἐπάγω, ἢ δύνασάς μοι νῦν ἀκολουθήσαι, ὑστερον δε ἀκολουθήσεις μοι.
37. Λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος. Κύριε, τίς ἐ δύναμαί σοι ἀκολουθήσαι ἀπὸς; τὴν ψυχὴν μου ὑπὲρ σῆς θήσω.
38. Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. Τὴν ψυχὴν σου ὑπὲρ ἐμῆς θήσεις; Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι, ἢ μὴ ἀλέκτωρ Φωησεί, ἕως ἂν ἀπαρτήσῃ με τρίς.

35. In hoc cognoscunt omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuan.
36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit ei Jesus: Quod ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea.
37. Dicit ei Petrus: Domine, quare non possum te sequi nunc animam meam pro te ponam.
38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen, dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaveris.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM
HUIUS HISTORIÆ.

August. lib. 3. de consens. Evang. c. 2. existimat, prædictionem negationis, quam describit Iohannes, non solum distinctam esse à prædictione negationis, quam describunt Matthæus & Marcus, sed etiam ab ea, quam describit Lucas, ut hac ratione tribus distinctis vicibus Christus Petro negationem prædixerit. Primum quidem verbis illis, quæ extant apud Iohannem. Deinde verbis illis, quæ extant apud Lucam, quarum prædictionum utraq; in cœnaculo facta. Tertio verbis illis, quæ extant apud Matthæum & Marcum, quæ prædictio post egressum è cœnaculo in via versus montem oliveti à Christo fuerit edita. Evangelicæ (inquit) non omnes ex una eademque occasione sermonis ad commemorandam negationis prædictionem veniunt, &c. sed diversa non tantum verba, sed etiam sententia Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumptionem proferret &c. ut magis intelligatur eum expressisse præsumptionem suam diversis locis sermonis Christi & ter illi à Domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus. Neque enim incredibile est, aliquantum disjunctis intervalis temporis Petrum commemoratum esse ad præsumendum, sicut ad negandum, vel ei Dominum aliquid ter similiter respondisse, quandoquidem etiam contextim nullis aliis interpositis rebus aut verbis post resurrectionem ter illum interrogaverit, utrum eum amet, & ei ter hoc idem respondentem ipse mandatum de pascendis ovibus suis unum idemque ter præcepit. Hoc ergo primum est Augustini argumentum, quo probat Petro tribus distinctis vicibus negationem à Christo prædictam esse, & per consequens prædictionem à Johanne descriptam esse distinctam ab ea, quam Lucas describit, videlicet quia ter Christum negavit, ter iterum confessus est, ac ter à Christo ipsi dictum: *Pasce oves meas*. Alterum argumentum ex diversitate occasionis & verborum desumit. Ex Iohanne inquit, manifestum est, illis verbis motum esse Petrum, ut diceret, *Domine quod vadis? quia dicentem audiverat, quod ego vado, non potestis venire*. Respondit Jesus eidem Petro: *Quod ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea*. Tunc ille: *Quare non possum, inquit, sequi modo? animam meam pro te ponam*. Huic præsumptioni respondit Dominus futuram ejus negationem. Lucas autem cum commemorasset, dixisse Dominum Simoni, ecce *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu conversus confirma fratres tuos*, tunc subiecit Petrum respondisse: *Domine te*

cum paratus sum & in carcerem & mortem ire. Et ille dixit: *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me*. Quam hoc aliud sit, aliud illud, unde Petrus ad præsumendum permotus sit, quis non videat? Apud Matthæum & Marcum occasione verborum post egressum à cœnaculo ad discipulos prolatorum, Omnes vos scandalum patiemini nocte hac, Petrus repetit præsumtionem suam, Etiam si omnes in te scandalizati fuerint, ego tamen non scandalizabor; & iterum à Christo audit: *Amen dico tibi, quod hodie in hac nocte, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus sis*. Juxta hanc Augustini hypothefin Harmonia hujus pericopes sic esset coagmentanda, ut primo loco integrum Christi & Petri colloquium à Johanne descriptum poneretur, ac postea demum ei, subjicerentur verba Lucæ: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanus expetivit vos, ut cribraret sicut triticum &c.* ac repetita negationis prædictio facta occasione repetite præsumtionis promissionis Petri: *Domine tecum paratus sum in carcerem & mortem ire*. Sed verifimilius videtur, Christum binis tantum vicibus negationem Petro prædixisse, semel in cœnaculo, quam prædictionem describunt Lucas & Iohannes, ac iterum post egressum ex cœnaculo in via versum montem oliveti, quam prædictionem describunt Matthæus & Marcus, adeoq; unam & eandem esse prædictionem, quam Lucas & Iohannes describunt; quæ est Euthymii sententia in c. 13. Joh. quam sequitur Pomeranus in Harm. passion. Nam. 1. quamvis diversitas quædam occasionis & verborum occurrat in prædictione, quam recenset Lucas, & in prædictione, quam commemorat Iohannes, illa tamen non est conjuncta cum diversitate loci & temporis, qualis occurrit in prædictione à Matthæo & Marco descripta, quam post egressum ex cœnaculo in via versus oliveti montem Christus protulit. Ergo prædictio negationis apud Matthæum & Marcum diversa est à prædictione negationis apud Lucam & Iohannem, sed prædictio apud Lucam non est diversa à prædictione apud Iohannem. 2. Diversitas occasionis & verborum in præsumtuosa Petri promissione, non autem in negationis prædictione occurrit. Apud Iohannem occasione verborum Christi, *Quod ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea*, Petrus præsumtuose promittit: *Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te ponam*. Apud Lucam occasione verborum Christi, *Simon, Simon, ecce Satanus expetivit vos, ut cri-*

ut cribraret sicut triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua &c, præsumtuosam suam promissionem aliis verbis repetit: Domine tecum paratus sum & in carcere & in morte ire. Sed Christus utrobique; iisdem verbis ipse respondet: Amen, amen, dico tibi Petre, non canet hodie gallus, donec ter me negaveris. Ergo iterata ac diversa fuit præsumtuosa Petri promissio, non autem iterata ac diversa, sed una atque eadem fuit negationis prædictio. 3. Quamvis enim Lucas omittat usitatam asseverandi formulam, quam addit Johannes, Amen, amen, dico tibi; quamvis etiam Lucas exprimat nomen personæ, quam Christus compellat, quod Johannes omittit, Dico tibi Petre; quamvis insuper Lucas exprimat circumstantiam temporis, quam Johannes præterit, non canet gallus hodie; denique quamvis formam negationis disertius exprimat Lucas, quam Johannes, non canet hodie gallus, priusquam ter abneget te nosse me: nulla tamen harum diversitatum tanti æstimationanda est, ut propter illam præditionis diversitas introducat, cum usitatissimum sit apud Evangelistas, quod ab uno prætermisissimum, in eadem Historia ab altero exprimi. 4. Trina Petri præsumtuosa promissio, trina negatio, trina confessio, trina ovium pascendarum commendatio non-

dum infallibiliter & apodicticè probant trinam negationis præditionem à Christo esse factam. Objicitur huic sententiæ, quod verba illa Christi ad Petrum, Tu conversus confirma fratres, post negationis præditionem dicta videantur, quia prius de casu & negatione egit, quam de conversione, neque enim dixisset convertendum à peccato, nisi prius prædixisset peccatum. Ergo jam prædixerat Christus negationem verbis illis, quæ describit Johannes, cum hæc verba protulit, quæ extant apud Lucam, post quæ iterum negationem prædixit. Resp. quando Christus Petro dixit: Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, lapsus Petri, à quo per veram penitentiam converti debebat, satis perspicuè insinuavit, intelligendum enim reliquit, ad fidem, quam in cribro Satanae amissurus erat, ipsum iterum converti debere. Sic ergo coagmentabimus hanc Historiam, ut duplici Petri promissioni unam negationis præditionem subijciamus, ac verbis Christi apud Johannem, animam tuam pro me pones, subijungamus ea, quæ extant apud Lucam: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit, ante quam præditionem negationis à Johanne descriptam præcedentibus annectamus.

Harmonia Historiæ de Christi ad mutuam caritatem exhortatione & trina negationis Petrinæ præditione.

Τεκνία, ἐπι μικρόν μεθ' ὑμῶν εἰμι. Ζητήσατέ με, καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι ὅπως ὑπάγω ἐγώ, ὑμεῖς ἔδυνασθε ἐλθεῖν, καὶ ὑμῖν λέγω ἄρα. Ἐπιτολήν καινήν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. ἐν τῷ τῶν γυνόντων πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταὶ εἴσε, ἐάν ἀγάπην ἐχητε ἐν ἀλλήλοις. Λέγει αὐτῷ Σίμων Πέτρος. Κύριε, πᾶς ὑπάγεις; Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅπως ὑπάγω, ἔδυνασά μοι νῦν ἀκολουθεῖσθαι, ὕστερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι. Λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος. Κύριε, διὰ τί ἔδυναμαί σοι ἀπολυθεῖσθαι ἄρα; τὴν ψυχὴν μὲν ὑπὲρ σε ἤθω. ἀπεκρίθη (δὲ) αὐτῷ ὁ Κύριος ὁ Ἰησοῦς (καὶ) εἶπε. Τὴν ψυχὴν σε ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις Σίμων, Σίμων, ἰδὲ ὁ Σατανᾶς ἐξήτησά σου, τὸ συνασαι ὡς τσίτον, ἐγὼ δὲ ἐδείχθη σοι σε, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σε. καὶ σύ περὶ ἐπισείψαις σὺν ἡμετέροις ἀδελφοῖς σε, ὃ δὲ ἔπειν αὐτῶν. Κύριε, μετὰ σε εἶμι. εἶμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον προσέδωξ. ὃ δὲ εἶπε. Ἀμήν, ἀμήν, λέγω σοι. Πέτρος, ἔμη φωνῆσθαι σημερον ἀλέκτωρ, εἰς τὴν (πρῶτην) τρεῖς ἀπαγγελῆσθαι μὴ εἰδέναί με.

Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. Queretis me, & sicut dixi Judæis, Quod ego vado, vos non potestis venire, ita & vobis dico nunc. Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei stis, si caritatem habueritis inter vos mutuam. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quod vadis? Respondit ei Jesus: Quod ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te ponam. Respondit (autem) ei Dominus Jesus (&) ait: Animam tuam pro me pones? Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcere & in mortem ire. At ille dixit: Amen, amen, dico tibi, non canet hodie gallus, donec (priusquam) ter abneget (negaveris) te nosse me.

Exegetis hujus Historiæ.

Luc. 11. v. 49. inquit Christus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Variis quidem modis ignem illum metaphorice exponunt pii veteres. Chrysostomus hom. 6. in Mat. accipit de Spiritu sancto, de quo Baptista dicit Mat. 3. v. 11. qui post me venturus est, baptizabit vos in Spiritu sancto & igne. Tertullianus libr. 4. advers. Marcion. de adversitatibus ac persecutionibus propter Evangelii confessionem sustinendis, quæ ignis nomine veniunt. 1. Petr. 1. v. 7. c. 4. v. 12. Apoc. 8. v. 6. Damasc. lib. 2. orthod. fid. c. 7. de odiis ac diffidiis, quæ inter familiares & domesticos ex Evangelii confessione oriuntur, quæ interpretatio congruit

versiculo sequenti 51. & loco parallelo Matth. 10. vers. 34. Putatis, quia pacem veni mittere in terram? non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos & duo in tres &c. Theophylactus in comm. accipit de λόγῳ καὶ κηρύγματι, de ipso Evangelii verbo, de quo Jerem. 23, 29. Nonne verba mea quasi ignis? Apoc. 11. v. 5. ignis exiit de ore eorum. Interim non contemnenda est Augustini explicatio, qui in enarr. Ps. 96. de igne caritatis verba Christi accipit. Exarserunt (inquit) homines credentes in Christum, acceperunt flammam caritatis, propterea & ipse Spiritus sanctus, cum missus esset Apostolis, sic apparuit. Visa sunt illis lingue

lingua divisa velut ignis, qui & insedit super unumquemque illorum. Ipo igne inflammari ceperunt ire per mundum & inflammare & incendere. Omnes enim proprietates ignis, quas Dionys. de cœlesti Hierarch. c. 15. enumerat, ac Deo, qui est ipsa caritas, Joh. 4. v. 16. accommodat, caritati conveniunt. Ignis omnia pervadit & ab omnibus excipitur: Sic caritas ad omnes amplitudine suâ diffunditur, omnes complectitur, omnia credit & sperat. 1. Cor. 13. v. 7. ab omnibus hilariter suscipitur. Ignis, quamvis lucidissimus sit, tamen nisi materia admoveatur, in quam vim suam exerat & exterius proferat, occultus in seipso manet, nec aspectui externo patet: Sic caritas in corde hominis interius latens non nisi in effectibus exterius conspicitur. *Probatio dilectionis est exhibitio operis*, ait Gregor. homil. 10. in Evang. Ignis ea, quæ corripit, in se quasi transfert & omnibus ad se accedentibus sui consortium impertit: Sic caritas aliorum miseriam aspicit ut suam, per compassionem omnia in se quasi transfert, & reliquarum virtutum, quibus conjungitur, actus quasi inflammat. Ignis suâ Naturâ sursum tendit, ac celeritate, tenuitate, levitate suâ sublimia petit: Sic caritas non solum proximam in terris benevolentiam complectitur, sed etiam ad Deum in cœlis asurgit. *Tunc mirabiliter in altum caritas surgit, cum se ad ima proximorum misericorditer inclinat, & quo benignius descendit ad infima, eo volentius recurrit ad summa.* Ignis communicatione non minuitur, sed augetur: sic caritas, cum se proximi necessitatibus communicat, magis augetur. Augetur caritas communicatione, quò plures & quò ardentius amat, eò majus caritas accipit incrementum. Quemadmodum etiam ignis cœlo delapsus ex tabernaculo translatus in templi: Sic ignis caritatis ex ambulatorio Ecclesiæ militantis tabernaculo transferretur in fixum Ecclesiæ militantis templum. 1. Cor. 13. v. 8. Hunc ignem ut Christus in terra accenderet, caritatis igne impulsus de cœlo in terras venit, ac proinde cum morti jam vicinus esset & ex immensa caritate pro totius generis humani peccatis sanguinem suum profunderet vellet, dilectionis mandatum discipulis suis denuò inculcare & velut Testamenti loco ipsis relinquere voluit. Agitur de eò in præsentî pericope, cujus partes sunt duæ: 1. *Seria ad mutuam dilectionem exhortatio.* 2. *Lapsus Petri prædictio.* Quâvis verba Christi in principio hujus pericopes posita, Filiolia, ab hoc paulisper vobiscum sum. *Quæretis me, & sicut dixi Judæis, quòd ego vado, vos non potestis venire, ita & vobis dico nunc, haud incommodè accipi possint, tanquam peculiare & à mandato dilectionis distinctum membrum, in quo Christus prædictionem de passione & morte sua proximè instante denuò repetat, 1. Ut somnum de terreno Messia regno ipsis eximat & sinistris de sui glorificatione, cujus paulò antè mentionem fecerat; cogitationibus occurrat. 2. Ut contra scandalum passionis & crucis eos præmuniat. 3. Ut se non coactum, sed spontè adire mortem doceat. 4. Ut desiderium sui in eorum animis excitet, quam rationem tradit Chrysostr. homil. 71. in Johann. Cum enim aliquem carissimorum discedentem videmus, & in eum maxime locum, quòd nobis non licet accedere, majorem in modum movemur atq; incendimur. 5. Augustin. tract. 64. in Johann. hanc affert rationem, quare prædictionem de sua morte mandato dilectionis*

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia.

Christus præmiserit, quòd docere voluerit, quomodo idonei esse possint pergere, quòd ille antecederat, ut sit sensus: Si ex me audire desideratis, quid interim vobis faciendum sit, ut suo tempore ad Dei gloriam & proximi salutem me sequi possitis, cum hoc tempore non possitis eò venire, quòd ego vado, en brevissimam, sed necessariam & sufficientem vobis præscribo regulam. Diligite inter vos mutuò & per hanc dilectionem vestram in me fidem ac Dei dilectionem testatam reddite. Series tamen textus ostendit, hanc mortis suæ proximè imminentis prædictionem eo potissimum fine à Christo hoc loco esse repetitam, ut mandatum dilectionis eidem immediatè subjectum discipulis magis commendaret. Ideò enim se brevi ab ipsis discessurum prædicit, ut ardentius eo fruerentur, dum adhuc eum secum haberent, & ut cordibus suis diligentius infigerent, quod in ipso discessu quasi Testamentaria dispositionis loco ipsis mandabat. Exhortatur igitur Christus discipulos suos, & sub eorum persona omnes verè fideles ad mutuam dilectionem. 1. *A discipulorum conditione & proprietate.* Filioli, inquit, præceptum novum do vobis. Quidam Codd. habent *τὴν*, sed alii & quidem probatissimi legunt *τὴν* in diminutivo, quomodo etiam legit vulgatus interpres. Syrus addit affixum, *Filii mei*. Christus nunquam hæcenus suavissimo illo *τὴν* sive filiorum nomine Apostolos compellaverat, sed semel tantum *τὴν* filios ipsos vocaverat, Marc. 10. v. 24. usitate *μαθητῶν* Mat. 10. v. 24. & 42. ac *δούλοῦ* c. ejusdem v. 24. & 25. Joh. 13. v. 16. hic verò morti jam vicinus vocat eos non solum filios, sed quod magis est emphaticum *filios*, & ut paulò post. Joh. 15. v. 15. sequitur, *non servos, sed amicos suos*. Rupertus in Joh. existimat, *Apostolos ante Christi passionem non fuisse baptizatos, ac proinde etiam nondum fuisse filios, hoc est, fortes & robustos, sed adhuc filios, id est, infirmos & imbecilles.* Sed hypothesis hujus expositionis est falsa. Cum enim Apostoli ante Christi passionem alios baptizaverint, Joh. 4. v. 2. utiq; ipsi prius à Johanne fuere baptizati. Cyrillus libr. 9. in Johann. c. 21. philosophatur, quod omnes homines, quantumvis perfecti, comparatione ad Deum sint pueri. *Filios, inquit, & quasi nuper natos infantes, quamvis multis splenderent virtutibus, & singuli prudentia munirentur, discipulos appellavit, ostendens infantem esse apud Deum & parvi momenti hominem, etiamsi perfectissimus esset, quid enim prudentia hominis ad opificem omnium collata est sapientiam?* Chrysostr. d. l. statuit, quod Christus hac appellatione discipulos à Judæis discernere voluerit. *Ideò addidit, filii, inquit, ut audientes, sicut dixi Judæis, non itidem ad se dictum putarent, id est, me, quia idem, quod prius incredulis Judæis dixerat, ipsis dicebat, putarent, se eodem apud ipsum loco & gradu censeri ac Judæos.* Ita enim Chrysostr. mentem ejus abbreviator Theophylactus exponit, sic scribens in hunc locum: *Ideò adiecit filii, ut ne putent, quod eadem affectione, quâ Judæis, hæc eis sit locutus; sed ex caritate.* Euthymius censet, *Christum hac appellatione ostendere voluisse, quòd sit ipsorum Magister & creator.* Hæc quidem suum habere possunt locum, interim primariò ac principaliter hæc amica & blanda compellatio eò pertinet, ut præceptum dilectionis Christus discipulis suis magis commendat. Quemadmodum enim parens moritur⁹ liberos suos suavissimè com-

H h h h

pellat;

pellat, ac significans tempus jam venisse, quo separari invicem debeant, eò magis ipsis commendat vitæ regulam, quam valedictionis loco ipsis præscribit: ita quoq; Christus, quando discipulos suos *filiolos* vocat & mortem suam in proximo esse asserit, præceptum dilectionis huic compellationi & mortis prædictioni subiectum ipsis eò magis commendare voluit, seq; affectu planè paterno hanc vivendi normam ac regulam ipsis præscribere ostendit. Quandè ergò dicit, *filioli, adhuc paulisper vobiscum sum*, sensus est: Morigeros & obsequentes liberos decet patris morituri verba memori mente recondere, ac per omnem vitam illorum perpetuò meminisse. Quare cum & vos sitis dilecti mei filii, æquū est, ut dilectionis præceptum, quod vobis Testamentariæ quasi dispositionis loco commendando, animis vestris perpetuò infixum circumgestetis. Nec solum ad temporis circumstantiam, quo præceptum dilectionis Apostolis à Christo fuit commendatum, sed etiam ad ipsam præcepti huius materiam appellatio filiorum accommodari potest. Quemadmodum enim Christus dicit Mat. 5. v. 44. Luc. 6. v. 27. *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri cœlestis*: ita filiorum appellationem præcepto dilectionis præmittens discipulos suos eo ipso admonere voluit, quod ut filii genuini vestigiis Patris cœlestis insistere & dilectionem mutuan exercere debeant. Deinde possunt addi alia huius suavissimæ appellationis causæ. 1. Voluit eos prædicatione abitus sui nimio perè contristatos erigere ac consolari, idè utitur verbis ad consolationem maximè accommodatis. Quodnam enim blandius nomen est quàm filiolorum? Esa. 66. v. 13. *Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos*. 2. Humanissimâ illâ filiorum appellatione docere voluit, non propterea se ab illis discedere, quia parum curet eorum salutem, sed potius ut eam promoveat, cum tenerrimè & affectu planè materno ipsos amet. Esa. 49. v. 15. *Nunquid mater oblivisci potest infantis sui &c.* 3. Nec solum paternam amoris sui gratiam & affectus, quo eos complectatur, teneritudinem, hoc nomine exprimere voluit, sed etiam discipulos eodem infirmitatis suæ admonere, quod fides ipsorum sit adhuc admodum tenera & infirma, quodq; pupillorum instar tutore & protectore opus habeant, sicut paulò post dicit Petro: *Satanas expetivit vos, ut cribraret, ego autem rogavi pro te, id est, ego ero vester tutor ac protector, ne fides vestra in sua quasi infantia per Satanæ tentationes penitus extingatur. Hoc sensu Apostolus Galatas in fide adhuc infirmos vocat *παιδα* Galat. 4. v. 19. Origenes in h. l. Ostendit nonnullum blandientis affectum, simulq; docet, Apostolos etiamnum animo pupillo esse. Admonet igitur nos hæc appellatio. 1. De Christi benignitate. Vocat Apostolos suos *amicos*, Joh. 15. v. 15. *fratres* cap. 20. v. 17. & hoc loco *filios*, ut paternum & fraternum suum erga ipsos testetur affectum. Quo autem modo erga Apostolos fuit affectus, eodem erga omnes verè credentes est animatus, cum non quatenus Apostolos, sed quatenus in se credentes tam tenerè dilexerit. Quomodo ergò eos negligat, eorumve curam abiciat, quos amicorum, quos fratrum, imò quos filiorum loco habet? Ipse est *Pater æternitatis* sive æternus, Esa. 9. v. 6. utiq; ergò æterno amore credentes, ut*

pote filios suos complectitur, sicut dicit Jer. 31. v. 3. *caritate perpetuâ dilexi te*. 2. De piorum dignitate. Si verè credentes ac pii sunt Christi filii; ergò etiam heredes. Si sunt ipsius fratres, ergò etiam ipsius coheredes, Rom. 8. v. 17. cum vera filiatio ac vera fraternitas etiam hereditatis communionem secum afferat. Solemur nos hac appellatione in omnibus adversis, interim tamen nominis huius dignitati Patris cœlestis imitatione respondere studeamus. 3. De mortis Christi fructu & efficacia. Christus mortem suam discipulis prædicturus vocat eos filios, innuens fructum mortis suæ esse, quod sumus & vocamur Dei filii. Joh. 11. v. 51. *Jesus moriturus erat pro gente*. v. 52. *Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum*. Rom. 5, 10. *reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. 4. De fidei effectu & proprietate. Apostoli facti erant filii Dei & Christi, non per vocationem ad Apostolatam, non per operationem miraculorum, sed per fidem in Christum. Pari ratione & nos per fidem ad dignitatem *υιοθεσιας* aspirare possumus Joh. 2. v. 12. Gal. 3. v. 26. Infirma erat Apostolorum fides, nihilo tamen minus Christus eos vocat filios: ita nec nos propter fidei infirmitatem abiciet, sed amore paterno complectetur, modò fidem nobis augeri petamus. Luc. 17. v. 5. & infirmitati carnis resistamus.

2. Alterum exhortationis argumentum desumitur à temporis qualitate. *Adhuc paulisper vobiscum sum. Queretis me, & sicut dixi Judeis, Quò ego vado, vos non potestis venire, ita & vobis dico nunc. Eri *μικρον* dictum esse censent *επιτηδειος*, subintelligendum enim *χρονον*, quod diserte exprimitur Joh. 7. v. 33. c. 12. v. vers. 35. Similis ellipsis occurrit Mat. 26. v. 73. Marc. 14. v. 70. Sed rectius statuitur, poni in forma adverbii, ut evidenter apparet ex Johan. 14. v. 19. c. 16. v. 16. & seqq. usitatum enim est apud Græcos nomina in neutro genere poni pro adverbii. Syrus habet vocem *ܡܝܟܪܘܢ* idem adverbialiter usurpatam, *modicum, parum*. Modicum verò illud, quo Christus se cum discipulis adhuc futurum & ex antithesi brevi ab illis se separatum iri innuit, duplici modo intelligi posse Augustinus asserit, videlicet vel de tempore, quod usq; ad ejus in cœlos ascensionem adhuc reliquum erat, vel de tempore, quod usque ad passionem proximè instantem adhuc supererat particularum horarum spacio determinatum. Sic enim scribit tra. 64. in Johan. *Adhuc modicum vobiscum sum. Tanquam diceret, continuo quidem resurrectione clarificabor, non tamen continuo ascensurus in cœlum, sed adhuc modicum vobiscum sum. Sicut enim scriptum est in Actibus Apostolorum, fuit cum eis post resurrectionem quadraginta dies, intrans & exiens, manducans & bibens &c.* Hoc ergò quadraginta dies significavit, dicendo, adhuc modicum sum, an aliquid aliud? Potest enim & sic intelligi, adhuc modicum vobiscum sum, adhuc sicut vos, in hac infirmitate carnis etiam ipse sum, donec scilicet moretur atque resurgeret. Prior sensus probari posset ex loco parallelo, ad quem Christus ipse discipulos suos hic remittit, Joh. 7. v. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me, ubi particula *οὐ*, ponitur *αὐτολογικως* pro *quia*, & per abitum ad Patrem ingressus in gloriam per ascensionem in cœlos & sessionem ad dextram Dei factus intelligitur. Luc.**

24. v. 26. Sed posterior sensus magis congruit textui, quem etiam Græci Patres Chrysofostomus, Cyrillus & Theophylactus præferunt. Modicum adhuc vobiscum sum, donec Judas de cœnaculo ad Pontifices modò egressus acceptâ cohorte post horam unam atq; alteram redeat, me comprehendat & captivum ducat, tunc enim à vobis separatus tandemq; intererit non amplius vobiscum ero. Probat hæc interpretatio 1. Ex Joh. 16. v. 16. *Modicum & nos videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* At post ascensionem in cœlos Apostoli eum non amplius viderunt. Ergò per illud modicum, quo non erat ab Apostolis conspiciendus, intelligit tempus passionis, quod ipsum etiam probat *ἐγὼ ἔτι εἰμι μετὰ ὑμῶν ἕως ἡμέρας* in v. 20. *Plorabit is & lamentabitur.* 2. Ex Luc. 24. v. 44. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc vobiscum essem.* Ergo post resurrectionem non amplius cum ipsis erat, eo scilicet modo, quo ante passionem cum ipsis conversatus fuerat more humano in carne passibili & mortali. Augustin. d. 1. *Postquam resurrexit, cum illis quidem fuit diebus quadraginta exhibitione corporalis presentie, sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humana.* Fuit enim tunc cum ipsis in corpore glorificato & immortalis, modo visibilem se illis exhibens, modo visibilem suam presentiam illis subducens, manducavit quidem & bibit cum illis, non tamen habens esuriendi ac sitiendi egestatem, sed ut que ad ista carnis insinuans veritatem, que cibandi ac potandi jam non habebat necessitatem sed potestatem. 3. Ex Christi scopo. Propositum erat Christo, de passionis & morte sua proxime instante discipulos monere & contra scandalum crucis eos munire. Ergò per modicum, quo se cum ipsis adhuc futurum dicit, intelligit exiguum illud temporis spacium, quod inter hanc prædictionem & suam in orto captivacionem erat interjectum. 4. Ex verbis sequentibus. *Quæretis me &c.* Janſonius ex illis pro priore expositione argumentum format. *De eo modico tempore (inquit) videtur istud accipiendum, post quod eventum erat, quod sequitur, quæretis me, secundum corporalem scilicet meam presentiam, quod post Domini in cœlos ascensionem contigit Apostolis, quando desiderabant & cupiebant presentiam Domini jam absentem.* At post gloriosam Christi in cœlos ascensionem Apostoli per Angelos in ipso ascensionis die, cum primis verò per Spiritum sanctum in die Pentecostes acceptum rectius informati non amplius desiderabant corporalem, id est, visibilem, externam & terrenam Christi presentiam, nec amplius venerant Christum secundum carnem. 2. Cor. 5. v. 16. sed in triduo mortis, cum de spirituali Christi regno nondum essent plene instituti, cupidissime presentiam Christi corporalem sive priorem familiaris conversationis rationem desiderabant. Ergò de tempore passionis & mortis Christus hic loquitur, non autem de tempore ascensionem in cœlos postmodum insecuto. Quærit Cyrillus lib. 9. in Joh. c. 21. quomodo cum his Christi verbis, *Adhuc modicum vobiscum sum,* conciliari possit Christi promissio Matth. 28. vers. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?* Respondet autem hoc modo. *Parvo tempore unâ cum discipulis se fore Christus ait, non quia penitus ab eis recessurus erat, sed quia non erat, sicut prius, cum eis convicturus, prope enim jam tempus erat,*

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tertia.

*ut etiam in cœlos ad Patrem abiret. Credere autem oportet fideles, quamvis à nobis corpore absit, virtute tamen suâ omnia & nos gubernari, adesseque semper ipsum omnibus, qui cum diligunt, propterea dicebat: Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum, quando ut homo in terra conversabatur, tunc etiam cœlos implebat, & Angelorum consortia non relinquebat: eodem nunc modo, cum sit in cœlis cum carne, terram tamen replet & cum eis est, qui ipsum diligunt. Ne quis verò hanc Cyrilli conciliationem eo sensu accipiat, quasi solâ Deitatis virtute & nullo modo suâ humanitate Christus post ascensionem discipulis suis præsens fuerit, notandum est, quod idem Cyrillus lib. 12. in Johan. cap. 32. divisionem vestimentorum Christi in quatuor partes & tunicæ integritatem ad presentiam carnis Christi in quatuor orbis partibus mysticè accomodet, sic scribens: *Quatuor orbis partes ad salutem reductæ indumentum Verbi, id est, carnem ejus impartibiliter inter se partita sunt, in singulis enim partibiliter transiens unigenitus & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter atq; integrè in omnibus est, cum unus ubiq; sit nullo modo divisus.* De solo igitur præsentia modo hoc accipiendum, quod Cyrillus negat, Christum suâ carne post ascensionem in cœlos cum Apostolis fuisse, videlicet quod non amplius eo modo cum illis conversatus fuerit, quo ante passionem, in carne scilicet mortali more humanæ conversationis ac visibiliter, sed in corpore immortalis & glorificato, modo divino, presentia majestatis & invisibiliter, quâ de re August. tract. 50. in Johan. sic disse- rit. *Christus discipulis deducens vivendo non sequendo ascendit in cœlum, & non est hic; ibi enim sedet ad dextram Patris, & hic est, non enim recessit presentia majestatis ac tract. 64. in Johan. cum de alio atque alio presentia modo, quo Christus ante passionem & post resurrectionem cum discipulis conversatus fuerat, egisset, subjungit. Est & alia divina presentia sensibus ignota mortalibus, de qua dicit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Hoc certe non est, adhuc modicum vobiscum sum, non enim modicum est usque ad consummationem seculi. Aut si & hoc modicum est, volat enim ætas, & in oculis Dei mille anni sicut dies unus, aut sicut vigilia in nocte, non tamen hoc significare voluisse credendus est nunc, quando quidem secutus adjunxit: *Quæretis me, & quò ego vado, non potestis venire. Utiq; post hoc modicum, quò vobiscum sum, quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire. Nunquid post consummationem seculi, quò ipse vadit, venire non poterunt. Et ubi est, quò aliquando post in hoc ipso sermone dicturus est, *Pater, volo, ubi ego sum, & ipsi sint mecum? Non ergo de illa sua cum suis presentia, quâ cum illis est usque ad consummationem seculi, nunc locutus est, ubi ait, adhuc modicum vobiscum sum, sed vel de infirmitate mortali, quâ cum illis erat usque ad passionem suam, aut de presentia corporali, quâ cum illis futurus erat usque ad ascensionem suam. Caterum huic prædictioni de suo abitu subjicit Christus duo ejusdem consequentia. Primò quod Apostoli eum jam digressum sollicitè sint quaesituri. Secundo quod non poterint eò venire, quo ipse sit abiturus. Utrumque jam antè prædixerat Judæis Johan. 7. vers. 34. cap. 8. v. 21.*****

H h h h h 2

ideò

ideo ad antegressam illam prædictionem discipulos remittit dicens: *Queritis me, & sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire, ita & vobis dico nunc. Quod Apostoli dicuntur Christum quæsituri, illud quidam accipiunt de tempore ascensionem secuto, quod corporalem Christi præsentiam & pristina conversationis familiaritatem cupidissime sint desideraturi. Sed ostendimus paulò priùs, rectius hoc accipi de tempore passionis & mortis Christi proximè imminente. Quomodo verò Apostoli tunc quæsiverunt Christum, cum ab eo potius aufugerint, ipsamque; solum reliquerint? Mat. 26 v. 57. Joh. 16 v. 32. Brentius existimat, Christum loqui non de sua persona, sed de persona sue beneficii, quæ sunt consolari, in adversis servare, ex afflictionibus liberare, quæ ratione quærere Christum dicuntur, non hi tantum, qui nomen ejus ex fide invocant, sed etiam hi, qui graviter affliguntur & indigent officii Christi. Quando ergò Christus ad Apostolos dicit, queritis me, tum significari, quod in propinquo sit, ut gravissimè affligantur & salute ejus maximè indigeant, sicut postea dicit, plorabitis & lamentabimini. Cyrillus notat, Christum dixisse Judæis, queritis me & non invenientis, discipulis verò simpliciter dixisse, queritis me, & non adjecisse, non invenientis me, quia scilicet Apostoli post resurrectionem eum inventuri erant, Judæi non item. Simplissima interpretatio colligitur, tum ex verbis prædictionis, tum ex ejus complemento. Christus paulò antè Apostolos vocaverat filios, seq; adhuc modicum cum ipsis fore dixerat, id est, paulò post se per mortem ab eis separatim iri prædixerat. Quemadmodum ergò filii Patre mortuo in domo undiq; circumcurfant, & parentem dilectissimum, cujus familiari conversatione plurimum delectati, & adjuti sunt, in omnibus domus angulis sollicitè quærunt, sed frustra: sic Christus Apostolis filiis suis prædicit, quod in triduo mortis serio ac sedulo se tanquam parentem sint quæsituri, & prioris conversationis familiaritatem desideraturi. Persuasi erant, regnum Christi esset corporale, in quo dignitatem & opes hujus mundi sint habituri, inde cum viderent, Christum ad passionem & crucem rapi, magnoperè animis suis perturbabantur, desiderabant corporalem Christi præsentiam, quæ cum se destitutos viderent, liquefacta est ipsorum anima, quæstiverunt dilectum suum & non invenerunt illum. Cant. 5 v. 6. Sed nec potuerunt eò venire quò Christus abierat. Qui per modicum illud, quo Christus se cum discipulis adhuc futurum dicit, intelligunt conversationem post resurrectionem usq; ad tempus ascensionis, statuunt sensum esse eum, quod discipuli non potuerint Christum euntem in cælum statim sequi, quæ expositio confirmari possit ex eo, quod Christus per abitum suum ad Patrem, ascensionem in cælos, sessionem ad dextram Patris & ingressum in gloriam in hac concione valedictoria significare solet. Sic ergò foret sensus: Quando à vobis ero in cæli digressus & in gloriam eVectus, vos gravissimis afflictionibus & persecutionibus in hoc mundo pressi desiderabitis corporali meâ præsentia frui, vel certè ex corpore exire & mecum in cælis vivere, sed non poteritis statim eò venire, quò ego abiturus sum, verum oportet vos priùs vocationis vestræ cursum absolvere, Evangelium in toto orbem prædicare & adversus hujus seculi plenè defun-*

gi, antequam in gloriam cœlestem per beatam civitatem transferri possitis. Augustin. tract. 64. in Joh. Quò sequi tunc non poterant discipuli? &c. Si dixerimus ad mortem, homini nato quod invenitur tempus, quo ad moriendum non sit idoneus? quandoquidem talis est in corpore corruptibili hominum fors, ut non sit facilior vita quam mors. Non igitur adhuc minus idonei erant sequi dominum ad mortem, sed minus idonei erant sequi dominum ad vitam, quæ non habet mortem. Illo quippe ibat Dominus, ut resurgens à mortuis jam non moreretur, & mors ei ultra non dominaretur. Moriturum quippe dominum pro justitia, quomodo jam fuerant secuturi adhuc Martyrio non maturi? aut iterum dominum ad immortalitatem carnis, quomodo jam fuerant secuturi, quando libet meritori, sed in fine seculi resurrecturi &c. Sed quia jam antè ostendimus, Christum per illud modicum, quo se cum discipulis adhuc futurum dicit, intelligere tempus usq; ad passionem & mortem adhuc reliquum, ideo etiam verisimilius est, per hunc Christi abitum non intelligi ingressum in gloriam, sed potius Christi passionem & mortem. Quo ego vado, sc. ad passionem & mortem, non potestis venire & me sequi. Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis, ego solus cum Diabolo, morte & inferno in passione mea congreddiar, nec in hoc prælio vos habeo commilitones & socios. At inquis, quomodo Apostoli non poterant ire, quò Christus ibat, hoc est, mori, cum fuerint mortales? Resp. aliud est mori simpliciter, aliud pro Christo & cum Christo mori. Poterant Apostoli mori, si conditionem & Naturam ipsorum respicere velimus, erant enim mortales homines, sed non poterant pro Christo & cum Christo mori, si ipsorum animum & voluntatem spectemus. Nondum erant in fide ita confirmati, nondum erant tanto spiritus robore præditi, ut possent pro Christo & cum Christo voluntariè mori, pollicebantur quidem, se cum Christo in carcerem & mortem ituros Mat. 26 v. 35. Marc. 14 v. 31. sed hæc promissio ex confidentia carnis, non autem ex robore spiritus proficiebatur. Nec solum propter carnis infirmitatem, sed etiam propter Dei ordinationem non poterant statim cum Christo mori, quia Deus ipsorum operâ in Evangelii per totum orbem prædicatione priùs uti constituerat, antequam ad mortem cum Christo & pro Christo sustinendam abriperentur. Ergò de morte sua Christus loquitur, quando dicit: Quò ego vado, vos non potestis venire, quò sensu etiam Petrus verba Christi intellexit, quando postea subjecit: Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te ponam. Item: Domine paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire. Quod Christus addit *ὅτι ὑμῶν λόγο ἀρεῖ*, illud quidam conjungunt cum sequente dilectionis mandato: Nunc dico vobis præceptum; sed rectius conjungitur cum præcedentibus, ut & Græci textus & Syriacæ paraphraseos distinctio ostendit. Augu. d. l. illud accipit tanquam explicationem præcedentis sententiæ, hoc sensu. Quod vobis dixi, vos non posse eò venire, quò ego vado, illud sic intellectum cupio, quòd modò, sive hoc ipso statim tempore non possitis sequi, quæ ratione particula *ἀρῆ* conjungeretur cum verbo *ἐλθεῖν*, quæ expositio confirmari posset ex sequentibus Christi verbis, quando paulò post Petro dicit: Quò ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea, quodque Judæis cum hoc

hoc

hoc ipsum diceret, non addidit *modo*, quippe qui nunquam eò venturi erant, Apostoli autem suo tempore erant eò venturi & Christum Magistrum suum secuturi. Sed præcedens particula *καθώς* ostendit, verba illa *καθ' ἑμὴν λέγω ἀγρί*, rectius accipi tanquam complementum comparationis. *Sicut olim Judæis dixi, quò ego vado, vos non potestis venire, ita idipsum vobis nunc dico, morti sc. proximus atq; ideo, quidem vobis hoc dico, antequam eveniat, ut cum venerit, intelligatis, me nec meam mortis nec vestræ sortis futuræ ignarum fuisse.* At, inquis, quomodo Apostolis hoc ipsum congruit, quod Judæis dictum fuerat, ipsos Christum quidem quæsituros, sed non inventuros, nec eò venturos, quò Christus abierat, cum Judæi, ut pote increduli, in æternum à Christo futuri sint separati, unde Christus ipsis dicit Joh. 8. v. 21. *Quæretis me & in peccato vestro moriemini, quò ego vado, vos non potestis venire.* Contra verò Apostoli cum Christo in gloria cælesti sint futuri? Joh. 17. v. 24. Quidam responsonem quærunt in eo, quod Christus dicit Joh. 7. v. 36. *ὅπου εἰμι ἐγώ, ὅπου εἰσὶν ἄλλοι ἐγώ, quò ego vado, vos non potestis venire,* hoc verò loco inquit, *ὅπου εἰσὶν ἄλλοι ἐγώ, quò ego vado, non potestis venire,* ex quo colligunt, in priore loco Christum loqui de suo in gloriam cælestem ingressu, à quo increduli Judæi erant excludendi, hic verò de sua morte, ad quam Apostoli Christum non poterant statim sequi. Sed Joh. 8. v. 21. itidem ad Judæos dicit, *ὅπου εἰσὶν ἄλλοι ἐγώ, quò ego vado, vos non potestis venire,* unde Henr. Steph. suscipitur pro *εἰμι* Joh. 7. v. 36. legendum esse *εἰμι*. Quidam responsonem quærunt in voce *ἀγρί*, ex quo colligunt, Christum Judæis absolute & simpliciter denegasse, quod possint eò venire, quò ipse abeat, Apostolis verò tantum respectu certi temporis, quod non possint statim eò venire, interim tamen suo tempore ipsos esse secuturos. Sed ostendimus superius, illud *ἀγρί* respondere particula *καθώς* præcedenti, non autem pertinere ad verbū *ἐλθάν*. Quidam responsonem quærunt in *προσδιορισμῷ* Joh. 7. v. 34. addito, *quæretis me & non inveniatis, qui hoc loco omittitur.* Judæi quæsi verunt Christum, sed non invenerunt, Apostoli quæsi verunt & invenerunt. Sed discipuli Christum in triduo mortis quærentes non invenerunt illum eo modo, quò invenire ipsum desiderabant, videlicet corporalem ipsius præsentiam. Utriq; existimabant, regnum Christi fore corporale ac terrenum, neutri ergo eo modo Christum invenerunt, quo eum quæsi verunt. Quidam responsonem quærunt in conditione addita Joh. 8. v. 21. *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini: quò ego vado, vos non potestis venire* v. 25. *dixi vobis, quò moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quò ego sim, moriemini in peccatis vestris:* ex quo colligunt, comminationem illam, quod Judæi non sint venturi quò Christus abeat, non esse accipiendam absolute, sed cum conditione, nisi per veram poenitentiam ad Christum convertantur & credant, quod ipse sit Messias in Vet. Test. promissus & in hunc mundum à Patre cælesti missus. Ideo enim etiam post ascensionem suam Christus Judæis Evangelium per Apostolos prædicari & divinis miraculis confirmari voluit, ut per illud à sua incredulitate & inobædientia converterentur: quod Christi consilium non caruit salutari fructu & successu, cum circiter tria millia Judæorum unâ Petri concione fuerint conversa. Act. 2. v. 41. Sed

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars tertia.

incertum est, an in numero istorum converforum Judæorum fuerint illi, de quibus Christus dicit Joh. 8. v. 25. *moriemini in peccatis vestris.* Simplicissimè responderetur, Christum eadem quidem verba hoc loco repetere, quæ Judæis proposuerat, sed sensu diverso: *λέγω* utrobiq; eandem esse, sed *διάνοιαν* diversam. Judæis dixerat, *quæretis me & non inveniatis, & quò ego vado, vos non potestis venire,* sensu eo, quod non solum propter præconceptam opinionem de terreno Messiaregno in passione & morte sint ipsum penitus repudiaturi, sed etiam postea alium Messiam frustra quæsituri ac propter incredulitatem suam in peccatis suis morituri, adeoq; sub morte & damnatione mansuri, nec unquam ad gloriam cælestem cum Christo perventuri, qui sensus colligitur ex verbis *ἐξηγήσεως* causâ Joh. 8. v. 34. additis, *quæretis me & in peccato vestro moriemini, quò ego vado, vos non potestis venire.* Discipulis verò nequam hoc sensu posteriore prædicat, quod sint ipsum quæsituri, quodq; non poterunt eò venire, quò ipse vadat, sed eò, quod ob præconceptam quidem opinionem de terreno Messiaregno, quam cum Judæis habebant communem, in passione & morte ipsius scandalum passuri, ipsum deferturi, corporalem ipsius præsentiam cupidè desideraturi &c. non tamen propter hanc infirmitatem penitus à Christo repudiandi, sed ad eum ex mortuis excitatum iterum colligendi, suavissimo ipsius conspectu exhilarandi, sicq; ex angore, tristitia & infirmitatibus iterum eluctaturi, hanc enim explicationem tradit ipse Christus in hac valedictoria sua concione. Luc. 22. v. 12. *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, tu autem conversus confirma fratres tuos.* Mat. 26. v. 31. Marc. 14. v. 27. *Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte &c. sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Joh. 14. v. 3. *Iterum veniam ad vos & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego & vos sitis* v. 19. *Ahuc modicum & mundus me jam non videt, vos autem videbitis me* v. 28. *audistis, quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos* c. 16. v. 16. *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me* v. 22. *nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum.* Quando ergo Judæis pertinaciter incredulis dicit: *Quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire,* comminatur illis æternum exitium, quod in extremis suis angustiis frustra alium Messiam sint quæsituri & in peccatis suis morituri, cum verum Messiam benignè sua beneficia ipsis offerentem per incredulitatem propter eò repudiaverint: quando vero discipulis suis dicit, *quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire,* tunc passionem & mortem suam proximè imminentem ipsis prædicat, contra futurum scandalum ipsos munit, admonet eos, ut tedium moræ patienter ferant, in cursu vocationis constantes perseverent, ac certi sint, fore ut absoluto vocationis suæ cursu Magistrum suum per mortem in gloriam cælestem sequantur, sicut Christus postea Petro dicit: *Non potes me sequi modo, sequeris postea.* Quod autem Petro dictum, illud suo modo omnib; discipulis dictum, ut sit sensus: Postquam ad eum, qui me misit, per passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem abiero, passione isthac meâ, à peccatis vos redemero & S. S. vobis misero, per quem ad Evangelium in toto orbe prædicandum idonei reddemini, postquam etiam opus prædicationis Evangelii

H h h h h 3 ca

cæ, cui vos destinavi, consummaveritis, tunc poteritis eò venire, quò jam vado, tunc animam & vitam pro confessione Evangelii & gloria nominis mei intrepidè profundentes in cœlestem gloriam me jam præeuntem sequi poteritis. Atq; hæc est prædictio Christi de passione & morte sua proximè imminente, in qua duplex exhortationis argumentum ad dilectionem continetur. Primò enim hac prædictione voluit ipsorum animos tristitiâ depressos & somnolentos excitare, ut cum non diu ampliùs præsentia suâ frui possint, diligenter observent, quod & quale mandatum valedictionis & testamentariæ dispositionis loco ipsis jam sit propositurus, sicut pater moriturus ultima admonitionis verba filiis suis diligenter inculcat, ut attentè ea audiant & memori mente perpetuò observent. Deinde præmonet eos, quòd maximopere necessarium ipsis sit futurum, ut sint invicem concordēs & sincero amore sese complectantur, cum non ampliùs eo modo ipsum habituri sint præsentem, quo hætenus ipsis præsens fuerat, prospiciens eis de omnibus necessariis, & adversus hostium insidias ac potentiam eos defendens, sicut paulò post dicit. Luc. 22. v. 35. *quando vos misi sine sacco & peram, & calcamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* v. 36. *nunc autem qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium, q. d. alia nunc imminet tempora, separabor à vobis, non ampliùs eo modo, quo hætenus, vobis præsto adero, igitur opus est, ut adversus mundi odia ac pericula sincerà concordia & mutuà dilectione vos muniat, ut à mundo derelicti, imò odio habiti, mutuas operas in propagatione regni mei conjungatis. Hic est finis præcipuus, propter quem Christus hoc loco suum abitum live proximè imminentem passionem & mortem discipulis prædicere voluit, ut præceptum dilectionis statim subiectum eò magis ipsis commendaret, interim hac prædictione etiam de aliis doctrinis nos admonere voluit. Videmus enim 1. Quod Christus passionis & mortis suæ exactè præsciis fuerit, ex quo colligitur, quod voluntariè propter nos & nostram salutem eam adierit. 2. Quod dilexerit discipulos suos usq; in finem Joh. 13. 2. unde prædictioni suæ mortis præmittit vocem paternæ dilectionis indicem, dicens: *Filioli adhuc paulisper vobiscum sum, tam ægrè se ab illis avelli ostendens, quàm parens à filiolo adhuc tenero per mortem avellitur.* 3. Qualis sit conditio eorum, quos Christus suâ præsentia etiam ad modicum tempus destituere videtur, videlicet, tunc demum carendo discunt, quantum bonum ac quantum præsidium in Christi præsentia priùs habuerint, tunc anxie quærunt eum, cujus antea præsentis non ita magnam rationem habuerunt. 4. Quod tota verè fidelium in his terris vita nihil aliud sit quàm perpetuum & anxium ad Christum perveniendi desiderium 2. Cor. 5. v. 8. Phil. 1. v. 23. 5. Quòd ex nobis & nostris viribus non possumus Christum sequi nec ad crucem nec in gloriam. Phil. 1. v. 29. *Vobis è χάριτι & ἐξ ἰσχύος, ex gratia donatum est, ut pro Christo patiamini* c. 4. v. 13. *Omnia possum è τῷ ἐνδυνάμει τοῦ κυρίου.* Nisi Christus suo abitu Spir. sanctum nobis impetrasset, quo confirmati per viam crucis ipsum sequi possemus, nunquam potuissemus eò venire, quò ipse abiit. 6. Quòd unum idemque dictum pro diversitate objectorum & aliarum circumstantiarum diverso sensu in Scripturis re-*

peratur 7. Quòd in communibus calamitatibus alia sit piorum, alia impiorum conditio. Pii in cruce Christum quærunt verà fide & feris precibus, ideo tandem ipsum inveniunt. Impii non quærunt Christum ex fide, sed ex impatientia alia salutis media & remedia, adeoq; alium Christum quærunt, sed pro salute exitum inveniunt ac moriuntur in peccatis suis. Pii quamvis non statim possint ex cruce eluctari & eò venire, quò Christus abiit, tandem tamen ad Christum recipiuntur, ut sint, ubi ipse est, in cœlesti felicitate & gloria: Impii nunquam eo veniunt, quo Christus abiit, sed sub mortis & damnationis pondere manent in æternum, ac calamitates hujus vitæ sunt ipsis præludia, imò initia æternorum cruciatuum.

Tertium exhortationis argumentum deducitur à præcipiente potestate. *Præceptum do vobis, ut vos mutuo diligatis.* Ego, qui sum vester Magister ac Dominus Joh. 13. v. 13. qui sum unus ac solus vester καὶ ἑγὼ ὁ ἄριστος Mat. 23. v. 8. & 10. qui voce Patris cœlitus delatà vobis & omnibus hominibus audiendus commendatus sum Mat. 17. v. 5. ego, inquam hoc præceptum do vobis, ut vos mutuo diligatis. Ergo vobis meis discipulis incumbit ut mihi & huic præcepto meo vos obsequentes præbeatis. Non dicit cum Apostolo *præceptum non habeo, consilium autem do* 1. Cor. 7. v. 25. cum alia sit ratio sectandæ virginitatis, de qua Apostolus in forma consilii ibi loquitur, alia exercendæ caritatis, de qua Christus in forma præcepti hoc loco agit. Ergò non relictus in ἐξουσία ἰδὲ θελήσει ἡμῶν in libertate arbitrii nostri v. 37. an velimus mutuam caritatem sectari, necne, sed gravi ac serio mandato ad eam nos obstrinxit. Alberus emphasin quærivit in eo, quòd Christus non dicit, ego præcipio vobis, ut vos mutuo diligatis, sed *præceptum do vobis*, eo enim insinuari putat, quòd Christus non solum det præceptum dilectionis, sed etiam simul det credentibus Spiritum sanctum & per Spiritum sanctum vires præceptum illud implendi, sicut Augustinus dicit: *Domine da quòd jubes, & jube quòd vis.* Verum quidem est quòd Christus in Nov. Test. non solum præceptum dilectionis tradat, sed etiam per Spiritum Sanctum vires illud implendi suppeditet, quâ in parte à Mose legislatore distinguitur, sed ex phrasi ἐπιτολὴν δίδωμι illud vix poterit colligi, cum inter præcipere & præceptum dare nullum ejusmodi discrimen in Scripturis observetur Joh. 11. v. 57. Sir. 45. v. 6. & 22. Pontificii duplici ratione verbis hisce Christi abutuntur. Primo enim ex illis colligunt, *Christum non esse tantum doctorem & redemptorem, sed etiam novum legislatorem, qui consilia perfectionis legi Mosaicæ addiderit.* Concil. Trid. sess. 6. can. 21. Bellarmin. lib. 4. de justif. c. 4. Barrad. lib. 2. in Conc. Evang. cap. 10. & c. quam opinionem etiam Photiniani fecerunt suam, statuentes, *Christum non idcò venisse, ut legem pro nobis impleret, sed ut nova præcepta legi adderet, quorum quedam ad mores, quedam ad Ceremonias pertinere arbitrantur.* Catech. Racov. p. 164. in eo tamen à Pontificiis discedunt, quòd dogmata à Christo legi Mosaicæ addita, non vocant consilia perfectionis, sed præcepta ab omnibus observanda. Nos libenter concedimus, Christum in ministerio docendi non solum Evangelium de gratuita peccatorum remissione, sed etiam legem auditoribus suis proposuisse, eandem à corruptelis Pharisæicis vindicasse, ac pristino nitore resti-

restit-

restituiffe, negamus verò ipsum novas quasdam leges promulgasse, quibus legem moralem perfectiorem reddidit, quam sententiam in tract. de Evang. § 64. multis confirmavimus. Nec potest contrarium ex eo probari, quod Christus dicit, *præceptum do vobis*, quia illud ipsum, quod discipulis hic inculcat, præceptum, ad legem moralem in Vet. Test. jam antè promulgatâ pertinere, & in eo re ipsâ contineri, negari nullâ veritatis specie potest, cum dilectionis mandatum sit totius legis moralis summa Mat. 22. v. 36. Rom. 13. v. 9. Quare autem & quo respectu *novum* dicatur, de eo paulò post differemus. Deinde inferunt ex his verbis: *Christum hoc dilectionis mandatum opponere doctrine de gratuita per solam fidem justificatione*, sicut Salmeron in comm. h. l. disputat. At nemo nostrum docet, à Christo tantum formam justificationis & non simul pie vivendi normam esse præscriptam; nemo nostrum docet si lem mortuam dilectione vacuam justificare, sed dicimus cum Apostolo Galat. 5. v. 6. quòd vera & viva fides sit per dilectionem efficax. Interim non confundenda est fidei *εὐσπείρας* formalis, quâ Christum Mediatorem cum suo merito amplectitur, cum *εὐσπείρας* effectiva, quâ per dilectionem & bona opera sese exerit. Vera & viva fides non solum beneficia Christi in verbo Evangelii sibi oblata amplectitur, sed etiam per caritatem & omnis generis bona opera se veram & vivam esse ostendit, ut ratione hujus posterioris *εὐσπείρας* effectivè non justificat, sed tantum respectu prioris *εὐσπείρας* formalis, unde Christus ad dilectionem nos exhortaturus nequaquam dicit: Diligite vos mutuo, ut per hanc dilectionem vestram coram Deo justificari & salvari possitis, sed sic potius loquitur: *Præceptum novum do vobis, ut vos mutuo diligatis, in hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuo.* Ergo per dilectionem non reddimur filii Dei & Christi discipuli, sed per fidem, proinde etiam non justificamur coram Deo caritate, sed fide, interim quia vera fides justificans efficax est per dilectionem, ideò ex dilectione cognoscitur sive innoscitur, nos esse Dei filios & genuinos Christi discipulos, quo sensu etiam Johannes 1. Epist. 3. v. 14. verbis ex hoc mandato Christi petit dicit: *Nos scimus, quoniam translatus sumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Illud verò ex hac præcepti de dilectione mutua repetitione rectius colligitur. 1. Quòd Christus sit verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, qui non solum in prima creatione legem caritatis cordibus hominum inscripserit, sed etiam in monte Sinai solenni promulgatione eandem repetiverit. Nequidem hoc præceptum dilectionis proponit *ὡς νόστος*, quo modo Prophetæ & Apostoli in suis concionibus illud inculcarunt, sed *αὐτοκρατορικῶς* tanquam habens *ἐξουσίαν* Mat. 7. v. 29. & tanquam principalis hujus mandati autor, unde notanter dicit: *Præceptum novum do vobis.* 2. Quòd Christus in officio docendi non tantum Evangelium de gratuita peccatorum remissione, sed etiam legem de sincera Dei & proximi dilectione discipulis suis proposuerit, quod exemplum Ecclesiæ ministri imitari debent. 3. Quod non sit in nostro relicto arbitrio, an fraternam caritatem sectari velimus necne, sed quasi expresso Christi mandato ad eam sumus obstricti.

Quartum exhortationis argumentum ducitur à Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia.

præcepti hujus novitate. Præceptum novum do vobis, ut invicem diligatis. Mandatum dilectionis non esse absolute & simpliciter novum, disertis verbis docet Apostolus, qui ex ore ipsius Christi hæc verba audivit 1. Epist. 2. v. 7. *Non seribo vobis mandatum novum, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio, mandatum vetus est verbum quod audistis* 2. Epist. v. 5. *Nunc rogo te, non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quòd habuimus ab initio, ut diligamus invicem.* Id ipsum docet fidei analogia, cum enim mandatum dilectionis sit summa totius legis moralis Matth. 22. vers. 36. Rom. 13. vers. 9. quomodo absolute & simpliciter loquendo erit novum? inde variæ ortæ sunt disputationes, quare Christus hoc mandatum apeller novum. 1. Albertus in h. l. existimat, ideò vocari novum, quia *quod prius erat in factis, nunc impleri jubetur ex animo*, hoc est, quia lex mortalis exteriora tantum dilectionis opera, lex Christi verò interiorem dilectionis affectum requirat. Sed hæc opinio Pharisæica repugnat disertis verbis legis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum, non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Lev. 19. v. 17. Si odium cordis adversus fratrem prohibetur, utiq; dilectio cordis erga ipsum præcipitur. 2. Idem arbitratur vocari novum, quia nos principio nostro, Deo sc. propinquos facit, novum enim est, quod suo principio, à quo trahit esse, est propinquus. Sed dilectio proximi non facit nos Dei filios ac Deo propinquos, sed tales esse declarat, sicut Christus hoc loco addit: *In hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei (& Dei propinqui) sitis, si caritatem habueritis inter vos invicem.* 3. Salmeron disputat, *præceptum dilectionis ideò vocari novum, quod in veteri lege dictum fuerat: Diliges proximum & odio habebis inimicum, à Christo autem jubeamur etiam inimicos diligere.* Eadem Photinianorum est opinio. Resp. verba illa, odio habebis inimicum. Mat. 5. v. 43. non sunt verba legis, quippe quæ contrarium prorsus præcipit Exod. 23. v. 4. Deut. 22. v. 1. sed Pharisæorum, corruptelis suis legem depravantium, ut agnoscit ipse Bellarminus Salmeroni apertè contradicens lib. 4. de Justif. c. 4. *Pharisæi (inquit) pervertebant primum dilectionis præceptum. Quoniam enim lex jusserat, ut hostes suos occiderent, non odii causâ sed Zelo justitiæ, quâ justa bella interdum etiam à piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant, diligendos esse amicos, odio habendos inimicos, Dominus ergo gravissimè admonet, diligendos esse inimicos &c. li. ejusdem c. 4. Quæ videntur in Evangelio esse gravissima de dilectione inimicorum & de concupiscentia cobibenda, inveniuntur in lege veteri. Itaque non ait Dominus, Nisi abundaverit justitia vestra plusquam legis & Prophetarum, sed plus quam Scribarum & Pharisæorum, ut videl. significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quam tollere de medio corruptelas Scribarum & Pharisæorum.* 4. Cajetanus hanc affert rationem, quod lex tantum naturalis dilectionis formam exigat, ut sicut seipsum homo naturali diligit amore, ita & proximum suum diligit: sed Christum hoc loco præcipere, ut spiritualiter ad vitam æternam nos diligamus, aditentes scil. ut promoveamus nos invicem ad vitam æternam. Sed hanc opinionem improbant Ambros. Catharinus l. 2. contra Cajet. Sixtus Senensis li. 6. Biblioth. annot. 101. *Lex spiritualis est, inquit Apostolus Rom. 7. v. 14. hoc est, postulat spirituales obœdientiam.* Ergo etiâ spirituales dilectionem requirit. Naturalis dilectio per lapsum est miserè

H h h h 4

cor-



corrupta & depravata, Ergo non statuitur nec potest statui norma dilectionis proximi, nec jubemur proximum diligere, sicut de facto nos diligimus, sed sicut rationabiliter nos diligimus. Jam verò rationabiliter & menti legislatoris conformiter nos diligimus, si spiritualiter & ad vitam æternam nos diligimus. 5. Pleriq; ex Pontificiis sic exponunt, quod perfectior aliquis dilectionis gradus à Christo præscribatur, cujus respectu præceptum dilectionis novum appellatur. Cum enim lex præceperit, ut diligamus proximum sicut nos ipsos, Christum hic præcipere, ut proximum plus diligamus quam nos ipsos, siquidem suum nobis proponat exemplum, quod clare docet, proximum nos debere plus diligere quam nos ipsos, cum Christus nos plus quam se dilexerit, vitam suam pro nobis profundendo. Atqui lex moralis de diligendo proximo est perfectissima, cum mandatum hoc, Dilige proximum tunc sicut teipsum, sit simile primo & maximo mandato, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente tua &c. Matth. 22. v. 38. cum lex sit perfectæ justitiæ norma, perfectum divinæ voluntatis ἀπειρόνομα. Ergo illi non potuit aliquid addi. Aug. lib. 17. contra Faustum c. ult. Lex Dei tam perfectè commendatur, ut nihil ei addendum minuendumve sit. Nec venerat Mediator & Salvator Christus Jesus in hunc mundum, ut legi aliquid adderet, sed ut legem pro nobis impleteret Mat. 5. v. 17. Nec ullo modo verisimile est, legem dilectionis, utpote generalem, hoc speciale præceptum, quod animas pro fratribus ponere debeamus 1. Joh. 3. v. 16. si per mortem nostram ad salutem proximi aliquid conferre possumus, præterit ille, cum Moses, per quem legis de diligendo proximo facta est promulgatio, suo exemplo eam sic declaraverit, quod animam pro salute proximi ponere debeamus, quando de libro vite deleri quam populum interire maluit Exo. 12. v. 32. Quid quod summa legis à Christo revocatur ad hanc regulam. Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Mat. 7. v. 12. Luc. 6. v. 31. Jam verò nobis id præstari cupimus, ut si res ita ferat, per alterius mortem ab æterno exitio liberemur. Ergo etiam ex ipso legis præscripto obligati sumus, ut proximo illud præstemus: quod enim nobis præstari cupimus, illud ex præscripto legis proximo debemus. Inde Janfenius in concord. Evang. cap. 33. hanc rationem ipsemet refellit: Non apparet, inquit, quod ratione illius modi, quem significent illa verba, sicut dilexi vos, Christus mandatum hoc jam vocaverit novum, quia & Johannes Epistola 1. cap. 2. & in 2. Epistola, eum hoc novum mandatum repetit, ex Christi doctrina tantum dicit, ut diligamus alterum, nec addit, sicut Christus dilexit nos, quod tamen addendum erat, si hoc loco illa verba, sicut dilexi vos, pars sunt præcepti novi, quod modò se Christus suis dare dicit. Et Dominus ipse mox subjicit: In hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, nec addit, sicut dilexi vos. Unde apparet, quod simpliciter illud, ut diligatis vos invicem, debeat hic intelligi esse mandatum illud novum, quod se suis dare Christus asserit, quamvis præceptum hoc non de quavis intelligendum sit dilectione, sed de Christiana. Remotis igitur falsis hinc expositionibus enumerabimus veras rationes, quæ tamen ita comparatæ sunt, ut quædam earum propius ad scopum Christi accedant, quædam verò longius ab eo abeant. 1.

Novum in Scripturis quandoque idem significat quod aliud Ex. 1. v. 8. Esth. 8. v. 5. Es. 62. v. 2. (Confer. Es. 65. v. 15. Mat. 26. v. 29. Marc. 16. v. 17. Quia ergo Christus paulò antè discipulis suis mandatum dederat de fugienda ambitione & sectanda humilitate, ideò traditurus illis dilectionis mandatum dicit se novum, id est, aliud & à priore diversum ipsis tradere mandatum. Approbat hanc rationem Barrad. tom. 4. Concord. lib. 3. c. 20. Appellatur, inquit, mandatum novum, quia hætenus Christus illud non tradiderat Apostolis hoc sensu: Mandatum nunc vobis do, quod ad hoc usq; tempus non dedit, sed in hunc extremum discessum reservavi, nunc primò hic mandatum vobis trado, ideò, novum appello. 2. Novum Hebræi vocare solent, quod est præstans & eximium Pl. 33. v. 3. Cantate Domino canticum novum, id est, non vulgare sed eximium. Christus ergo hoc mandatum de dilectione vocat novum, ut illud tanquam singulare & eximium discipulis suis commendat. Cum hac ratione ferè congruit, quod quidam dicunt, Christum hoc præceptum vocare novum, non quod non jam olim in lege esset traditum, sed quod singulari studio illud observari vellet, ac si novum esset. Solent enim homines novas leges studiosius observare ac lege inveterascente de studio paulatim remittere. Sensus igitur erit: Hoc unicum præceptum prævarii legis constitutionibus & Ceremoniis singulariter à vobis exigo, & instar reliquorum omnium vobis commendatum esse cupio, hoc vobis debet semper esse novum ac recens. Approbat hanc rationem Maldonatus in h. l. sic scribens. Duobus modis accipi potest, quod hoc mandatum dicitur novum. Altero, ut hoc mandatum cum eodem aut simili dilectionis mandato, quod antea erat, conferatur; altero ut non cum illo, sed cum cæteris mandatis comparetur, quæ discipulis multa Christus tradiderat. Si cum simili dilectionis mandato, quod antea erat, conferatur, novum dicitur, non quod novum sit, neq; quod novo proponatur modo, sed quod cum illud sepe discipulis commendasset, iterum commendat, quemadmodum si novum esset, quemadmodum nunquam illud audivissent. Itaq; novitas non tam ad mandatum ipsum, quam ad studium, quod illud Christus commendat, & quo discipuli excipere debeant, referenda est. Sic ergo dictum est, mandatum novum do vobis, quemadmodum vulgò diceremus mandatum de novo do vobis, ut diligatis invicem. Si verò ad cætera mandata, quæ discipulis Christus tradiderat, conferatur, novum Hebraicè phrasi dicitur, non quia novum, sed quia præstantissimum &c. ut sit sensus: Multa, dum vobiscum versatus sum, mandata, multa documenta dedi, dabo nunc unum, quod instar est omnium, ut diligatis invicem. 3. Novum Hebræi solent vocare, quod est renovatum. Verbum enim מְרַנָּה à quo formatur nomen מְרַנָּה quo Syrus hoc loco utitur, significat renovavit, immovavit. Jerem. 26. v. 10. Sederunt in januâ portæ Domini novæ, quæ renovata erat. Sic ergo Christus vocat mandatum dilectionis novum, quia cum moribus hominum esset ferè obliteratum, nec à Judæis rectè intelligeretur Matth. 5. vers. 43. ipse illud renovavit ac novâ repetitione confirmat. Irenæus lib. 4. cap. 25. p. 250. Christus aliud majus præcepto dilectionis non detulit, sed hoc ipsum renovavit discipulis suis. Potest enim renovatio illa ad antegressam pedum lotionem referri, hoc sensu: Præceptum novum do, id est, in me-

in memoriam vobis revoco & de novo repeto præceptum de dilectione, quod jam antè vobis tradidi & exemplo lavandi pedes præscripsi. Approbat hanc rationem Janſenius in h. l. ſcribens. *Præceptum dilectionis dicitur novum, quod cum jam moribus hominum eſſet antiquatum, & Judæi nimis imperfectè illud intelligerent, Chriſtus novus Magiſter illud renovavit, inculcavit & abſolvit.* 4. Novum dicitur hoc præceptum, quia Chriſtus non ſolum à corruptelis Phariſæis illud repurgavit, ſed etiam novo ac ſingulari ſuo exemplo nobis commendavit, quam rationem ipſe ſuppeditare videtur, quando ſubjungit: *Sicut dilexi vos, ita & vos invicem diligatis.* Eandem rationem ſuppeditat Johannes 1. Epist. 2. v. 8. *Mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt in ipſo, id eſt, quod ipſe non ſolum præcepto mandavit, ſed etiam opere complevit & exemplo docuit, & ad quod denovo eſtis obligati per immenſa beneficia in Chriſto vobis præſtita.* Approbat hanc rationem Pererius Diſp. 42. in c. 13. *Johan. Præceptum, inquit, dilectionis non eſt novum ſimpliciter & omnino, quia fuerat etiam in lege veteri & ab initio mundi. Novum autem erat, quia renovatum à Chriſto fuerat, novo modo declaratum, novoq; & admirabili ſuo exemplo confirmatum.* 5. Novum vocat Chriſtus dilectionis mandatum, quia ad novum hominem per Spiritum ſanctum renovatum pertinet, & non niſi novo Spiritu à Chriſto accepto impletur. Hanc rationem itidem proponit Johannes d. l. *Mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt in ipſo & in nobis, quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.* id eſt. Sicut in Chriſto eſt vera ac ſincera dilectio, ita quoque eadem in vobis vigeat, atq; hætenus præceptum dilectionis eſt novum, quatenus requirit cor per S. S. renovatum, ut Chriſtum in dilectione imitari poſſimus. Veteres tenebræ ignorantia; errorum ac impietatis tranſierunt, ac nova & vera lux per Spiritum S. in cordibus veſtris eſt accenſa, ideo in vobis per Spiritum ſanctum jam illuminatis & renovatis, novum illud dilectionis mandatum verum eſt, ut eſt in Chriſto verum, id eſt, opere completum. Mandatum Moſaicum ſervabatur Spiritu timoris & ſervitutis, Chriſti præceptum ſervatur Spiritu amoris & libertatis, quam rationem hujus appellationis profert Lyranus in h. l. Huc referri poteſt, quod Auguſtinus tract. 65. in Joh. diſputat, præceptum dilectionis vocari novum, quia nos renovat, id eſt, per dilectionem teſtamur, quod ſumus *in Chriſto nova creatura* Gal. 6. v. 15. cum non niſi renovatus per Sp. S. novum hoc mandatum implere poſſit. *Cur novum, inquit à Domino appellatur, quod tam veteris eſſe convincitur? an ideo eſt mandatum novum, quia ex toto veteri induit nos hominem novum? innovat quippe audientem vel potiùs obedientem, non omnibus, ſed iſta dilectio, quam Dominus mandat & c. Dilectio iſta nos innovat, ut ſumus homines novi, heredes Teſtamenti novi, cantatores cantici novi. Hæc dilectio innovavit Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, ipſa & nunc innovat gentes & ex univerſo genere humano colligit populum novum, corpus novæ nuptiæ filii Dei unigeniti Sponſæ.* 6. Novum vocatur dilectionis mandatum, quia novo modo à Chriſto eſt promulgatum. Et Moſes & Chriſtus idem dilectionis mandatum proponunt, ſed non eodem modo. Moſes rigidiffimè perfectam & omnibus numeris abſolutam caritatem requirit, quæ exactiffimè cum norma legis

divinæ congruat, proinde etiam accuſat & damnat omnes, quotquot non præſtant perfectiffimam illam obœdientiam. Chriſtus vero per Evangelicam rigorem illum mitigat, inchoatam & perfectam credentium caritatem, modo ſit ſeria & ἀνομιαν, paternè acceptat, adhærentem imperfectionem & immunditiam merito ſuo tegit & c. Moſes tantum præcipit caritatem, ſed non ſubminiſtrat vires, ut præceptum illud implere poſſimus. Chriſtus vero per Spiritum ſanctum largitur vires præſtandi quod jubetur 2. Cor. 3. v. 7. Galat. 3. v. 2. Moſaica lex circumdata & involuta erat variis Ceremoniis, Chriſtus autem legem dilectionis ab illis quali repurgat, ſicq; mitigat grave legis jugum, quod innumerabilia fermè præcepta continebat, quæ omnia ad unum dilectionis præceptum revocat Thomas in h. l. *Omnis caritas eſt novi Teſtamenti, quemadmodum & gratia, quoniam Chriſtus, qui novi Teſtamenti eſt autor, caritatem & gratiam meritis eſt hominibus utriuſq; Teſtamenti: meritò ergo potero mandatum amoris dici novum, ſiquidem caritatis eſt, quæ ad Nov. Teſtam. pertinet.* Quamvis ergo Moſaica lex itidem ad dilectionem homines urgeat, tamen quia multis appendicibus, Ceremoniis & conſtitutionibus erat quali implicita, & quodammodo obruta, ideo caritatis doctrina non tam clarè ibi effulſit & eminuït, ſublatis vero in Nov. Teſt. illis appendicibus & umbris ejus lux clariùs apparere cœpit. Hiſce primariis ac potioribus rationibus ſecundariæ & minùs principales addi poſſunt. 1. Novum vocatur dilectionis mandatum ab autore novo. Quid enim magis novum, quàm Θεὸς ὁ ὢν & c. Deus & homo in perſonæ unitate? Jer. 31. v. 2. *Spiritum rectum innovans in viſceribus noſtris* Pl. 51, 52. *dans nobis cor novum & Spiritum novum ponens in medio noſtri* Ezech. 36. v. 26. ut novum hoc præceptum implere incipiam. 1. Quia nova præcepta ab hoc novo Magiſtro & orbis inſtauratore expectabantur, non quod per ſe eſſet novum & antea nunquam auditum. Sic doctrina Evangelii vocatur *nova* Marc. 1. v. 27. reſpectu ad hominum opinionem habito. 3. Quia præceptum hoc ſemper manet novum, ut ut namq; caritatis officia proximo exhibuerimus, ſemper tamè legis hujus debitores manem. Rom. 13. 8. Commendat ergo Chriſtus hoc dilectionis mandatum à novitate, ut diſcipulorum animis illud fortiùs inſigat & in ipſorum memoria perpetuo novum eſſe debere oſtendat.

Quintum exhortationis argumentum petit ab exempli ſui conformitate. *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Quædam exemplaria legunt, *ὡς καὶ ὁ θεὸς ἠγάπησεν ὑμᾶς καὶ ἑαυτὸν ἀπέδωκεν ὑμῶν χάριν ἀλλήλων.* Sed uſitatior lectio eſt, *καὶ ὡς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.* Auguſtinus eumque ſecutus Beda, verba poſteriora, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, ita conjungunt cum præcedentibus, propter quem Chriſtus ſe dicat illos dilexiſſe, quæ ratione erit ſenſus, propterea dilexi vos, ut & vos mutuo diligeretis. *Ad hoc Chriſtus nos dilexit, ut & nos diligamus invicem, hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutuâ dilectione conſtringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis ſintes,* inquit Aug. tract. 65. in Joh. Poteſt etiam hoc membrum ſimpliciter accipi tanquam repetitio & inculca-

respiciamus nostram utilitatem, sed Dei voluntatem; non nostrum commodum, sed nostrum debitum; non quæ sunt nostra, sed quæ sunt proximi.

1. Cor. 10. v. 24. & 33. 2. Cor. 12. v. 14. Tertio *divinitate* & *sincera* Rom. 12. v. 9. & 10. Eph. 4. v. 16. Phil. 2. v. 1. Tit. 2. v. 2. Quarto *actiosa* & *benefica*. Diligamus non tantum verbis & lingua, sed etiam opere & veritate 1. Joh. 3. v. 18. dilectio in corde eo modo regnet, ut omnia membra ad officia & servitia proximo præstanda dirigat Rom. 13. v. 11. 2. Cor. 8. v. 8. 1. Thess. 1. v. 3. Hebr. 6. v. 10. Jac. 2. v. 25. Sit ergo caritas pacifica, navos suos proximo condonans Prov. 10. v. 12. 2. Cor. 13. v. 11. Eph. 4. v. 2. Col. 3. v. 12. *compatiens*, miseriam proximi aspiciens ut suam, Rom. 13. v. 13. & 15. 1. Cor. 12. v. 26. *congaudens*, ibid. Quinto *ordinata*. Dilectio eo potissimum debet esse directa, ut salutem æternam proximo promoveat, non ita diligamus homines, ut eorum diligamus vitia & errores, sed recto ordine in diligendo proximo progrediamur. Dilectio proximi sit dilectioni Dei conjuncta, imò ex ea orta 1. Joh. 5. 2. *ut sciat homo diligere proximum, tanquam seipsum prius debet diligendo Deum diligere seipsum*, inquit August. conc. 8. in Psal. 118. sit etiam dilectioni Dei subjecta, ut Deus plus diligatur, quam proximus Mat. 10. 37. ita demum erit dilectio ordinata. Sexto *constans* & *perseverans*, propter hominum ingratitude non deficiens Eph. 3. 17. Hebr. 13. 1. sed quotidie crescens 1. Thess. 3. v. 12. 2. Thess. 1. v. 3. Septimo *universalis* ad omnes se extendens. Debemus non solum diligere amicos, sed etiam inimicos Ex. 23. v. 4. Lev. 19. v. 18. Prov. 25. v. 20. Matth. 5. v. 43. Luc. 6. v. 27. non solum divites, sed etiam egenos Deut. 15. v. 7. Luc. 14. 13. non solum concives, sed etiam peregrinos Lev. 19. v. 34. non solum notos, sed etiam ignotos Deut. 22. v. 2. Luc. 10. v. 30. interim tamen non negatur, esse certos dilectionis gradus, ac *domesticos* sibi magis diligendos, quam alios Rom. 12. v. 9. Gal. 6. 10. 1. Thess. 5. 13. 1. Tim. 5. v. 8. 2. Petr. 1. v. 7. & c. 3. quod causa dilectionis mutua non sit querenda in proximo, sed in Christi præcepto & exemplo. Si proximus indignus videatur, quem diligas, Christi tamen præceptum dignum est, cui obsequaris, Christi exemplum dignum est, quod imiteris. 4. Quod summa totius doctrinæ Christianismi contineatur in his verbis Christi: *Sicut ego dilexi vos, ita & vos invicem diligatis*. Christi enim dilectio non solum est exemplum, quod in vita imitari debemus, sed etiam ac præcipue est *meritum*, quod verâ fide apprehendere debemus. Jam vero in fide & dilectione summa totius Christianismi consistit 1. Joh. 3. v. 23. Ignatius Epist. 7. *το ἴδιον τῆς εἰς θεὸν καὶ ἀγάπης πρὸς τὸ ὁμοφυλῶν*. 5. Quod verè piorum sit Christi vitam: cum primis ejus dilectionem imitari 1. Pet. 2. v. 21. Omnis vita nostra conformis illi reddatur, qui amore nostri se totum nobis conformavit. Sextum & ultimum exhortationis ad dilectionem argumentum desumit Christus a dilectionis utilitate. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuam*. *ἐν τῆς τοῦ* ponitur pro *ἀλλήλων* ex illo, per illud, tanquam certum *πράξιμα* cognoscent & c. in qua significatione Hebræi solent uti voce *בְּרֵחַ* Gen. 42. v. 15. ut & Syrus hoc loco reddidit *בְּרֵחַ*. Non autem dicit, in hoc ego cognoscam, quia ipsi non opus est, ut quis testimonio perhibeat de homine, ipse

scit quid sit in homine Joh. 2. 25. *novit qui sint sui*. 2. Tim. 2. v. 21. nec nullo eam ad rem opus habet *προσπίμα* externo. Nec dicit, eritis mei discipuli, si caritatem habueritis inter vos mutuam, *sed in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis*, quia caritas non facit Christi discipulos, sed ostendit. Gal. 5. v. 6. Jac. 2. v. 18. 1. Joh. 4. 14. sola fides Christo nos inferit & Christi discipulos facit Joh. 1. v. 12. Gal. 3. v. 27. sanè Christus Mat 5. v. 44. & 45. dicit: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est & c.* sed hoc accipiendum juxta usitatum Hebraismum, quo fieri aliquid tunc dicitur, quando factum esse ostenditur, cum nemo, nisi qui jam filius Dei per fidem factus est, dilectione inimicorum animum se Dei esse demonstrat. Nec dicit, in hoc cognoscentis ipsi, quod sitis discipuli mei, *sed in hoc omnes cognoscent*. & c. Verum quidem est, quod ex dilectione etiam nos ipsi colligere possimus, nos esse genuinos Christi discipulos sicut 1. Joh. 5. v. 14. dicitur: *Nos scimus, quod ex morte in vitam translati sumus, quia fratres diligimus*: interim tamen Christi hic præcipue propositum est, ejusmodi *προσπίμα* Apostolis suis proponere, ex quo alii cognoscant, ipsos non fuisse frustra in schola Christi versatos, sed vitæ & factis Magistrum sui mores exprimere. Nec dicit, in hoc cognoscent illi, quibus ex dilectione benefacitis, quod sitis mei discipuli, sed in hoc cognoscent omnes, quia ejusmodi signum proponit, quod sit generale & ab omnibus, etiam illis, qui sunt extra Ecclesiam, observari possit. Sic Joh. 17. v. 21. inquit. *Rogo pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint* (per veram dilectionem) *ut credat mundus; quia tu me misisti*. Nec dicit, ex eo conjecturam facient omnes, quod sitis mei discipuli, sed in eo cognoscent, quia tale proponit signum, quod est certum & infallibile, adeoque cum re signata convertibile, ex quo certa rei notitia per verbum *προσπίμα* significata Mat. 12. v. 33. c. 24. 32. & c. capi potest. Nec dicit, in eo cognoscent omnes, quod sitis mei servi, mei fratres, sed *mei discipuli*, quia discipulorum est ingenium & mores Magistrum sui referre, præceptis ejus obsequi, vestigiis ejus fideliter insistere. Jam verò Christus paulo ante dixerat: *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos*, id est, ego doctrinam hanc non solum mandato, sed etiam exemplo vobis commendavi. Ergo rectè & convenienter subjungit, *in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuam*. *ἐν ἀλλήλοις* ponitur pro *ἐξ ἀλλήλων* Rom. 12. v. 20. 1. Thess. 3. v. 12. 2. Thess. 1. v. 3. quo sensu *ἐπιπέσει ἐν ἀλλήλοις* dicitur Marc. 9. v. 50. Syrus emphaticè reddidit: *si fuerit inter vos vel in nobis dilectio* *הן לות הן* unius erga alium. Sic ergo ultimo loco exhortatur Christus Apostolos, suos & in ipsorum persona nos omnes ad mutuam dilectionem, argumentò a dilectionis consequente utilitate petito, quod per eam omnibus demonstraturi sint, se esse veros & genuinos Christi discipulos. Inest etiam his verbis argumentum petiti ab honesto. Ducitis vobis honorificum, quod sitis mei discipuli. At hoc est proprium discipulorum meorum adjunctum ac propria eorum nota, quod sese mutuo diligunt. Item a discipulorum conditione de sumtum. Quid æquius est, quam ut discipuli Magistrum sui mores expriment, atque eo ipso sese genuinos discipulos esse demonstrant.

Præcipua

illis cibis vescimini, si sic aut sic vestiamini, si tales aut tales obferretis Ceremonias, si tot ac tales exhauriatis preces, sed si dilexeritis invicem, pro veris meis discipulis agnoscemini. Judæi agnoscebantur ex circumcissione & simbrarium gestatione, discipuli Johannis ex jejuniarum frequentatione, Pharisei ex phylacteriorum dilatatione & variarum Ceremoniarum observatione, Philosophorum sectæ ex certorum dogmatum professione, sed Christus suos discipulos agnoscere voluit ex mutua dilectione. Qui hanc notam non habent, illis dicit in die judicii, non novi vos Mat. 7. v. 23. Maldonatus in h. l. disputat etiam eos esse Christi discipulos, qui caritatem non habent, modò fidem habeant. Cave at, inquit, lector, ne existimet, eos, qui fidem habent, caritatem autem non habent, Christi non esse discipulos. Nam & illi non solum nomine, sed re etiam ipsa discipuli sunt, cum ab eo discant, atq; illi tanquam vero preceptorum credant, & æterum imitatione morum ejus discipuli non sunt, quia quos Christus diligit, ipsi non diligunt. Et quia etiam hoc modo vult Christus omnes homines discipulos suos esse, & qui hoc faciunt, non solum veri, sed etiam perfecti discipuli ejus sunt, indicat alios, qui fidem habent, dilectionem autem non habent, suos non esse discipulos, sic plane ut si quis pater neget eos suos esse filios, qui sibi moribus dissimiles sunt, non quod verè non sint filii, sed quod non quales esse oportebat. Atqui si caritas est infallibilis nota verorum & genuinorum Christi discipulorum, ut ex his verbis Christi manifestissimum, quomodo possunt esse veri Christi discipuli, qui fidem habent, caritatem autem non habent? Ut in voce fidelium, ita quoque in nomine discipulorum Christi est quadam ambiguitas. Dicuntur enim fideles & discipuli Christi in genere & *κατα γεννησιν* qui doctrinam Christi norunt, eiq; assentuntur; in specie & *υγιαι* qui verà fide beneficia Christi sibi applicant, & fidem suam per dilectionem veram & vivam esse testantur. Priori sensu concedimus illos esse Christi discipulos, qui caritate destituti sunt, non autem posteriore. Dispar hac in parte est ratio filiationis naturalis & *υιοθεια* spiritualis. Qui parentibus suis vita & moribus sunt dissimiles, manent adhuc filii, quia per naturam tales, sunt, sed qui non insunt vestigiis Patris cœlestis non sunt veri & genuini Patris cœlestis filii, quia *υιοθεια* ipsis obtingit non per naturam sed per gratiam & fidem, quæ si non est efficax per dilectionem, non est vera ac viva, ac proinde in illis, qui caritatem non habent, non habet locum *υιοθεια*. Potest & hoc natari, quia Christus dilectionem constituit ejusmodi notam, ex qua veri Christiani cognosci possunt, ergo dilectio non consistit tantum in interiori cordis affectu, sed etiam progreditur in exteriores effectus, exerit se per opera misericordiae, per fraternam informationem, correctionem & necessariorum officiorum exhibitionem, alias non possent veri Christiani cognosci ex caritate, sicut fructus cognoscitur ex arbore.

Atq; hæc est seria Christi ad mutuam dilectionem exhortatio, quam in valedictoria sua concione Apostolis commendare & velut Testamenti loco ipsis relinquere voluit, i. Ut brevem, sed tamen sufficientem piè vivendi normam ipsis præscriberet, sicut parens moriturus de necessariis solet liberos brevibus sed emphaticis verbis instruere, quia dilectione omnia reliqua vitæ præcepta con-

tinentur. Hieron in c. 6. Gal. de Johanne Apostolo, qui in sinu Christi accubebat, cum hoc dilectionis mandatum discipulis suis Christus inculcasset, sic scribit: *Cum Ephesi moraretur plenus dierum, ita ut vix inter manus discipulorum ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud proferebat, quam, filii diligite vos invicem. At cum discipuli radio affecti, quod eadem semper audirent, rogarent: Magister, quare hoc semper loqueris? dignam Johannes sententiam respondit, quia præceptum Domini est, & se solum fiat, sufficit.* 2. Ut ostenderet, se in suo ad Patrem abitu & ex hoc mundo discessu nequaquam Apostolorum & aliorum fidelium curam abjicere velle, sed eorum memoriam perpetuò retinere. Quia enim post suum abitum Apostolos & omnes verè pios eo modo se invicem diligere jubet, quo ipse eos diligit, utiq; ergo etiam post suum abitum illos diligit, aliàs suum exemplum non posset illis loco regulæ præscribere. Quia instruit eos, quam vivendi normam post suum discessum tenere debeant, ergo rediturus est aliquando ad judicium, ut eorum, quæ fecerunt, rationem ab ipsis exigat. 3. Ut doceret, Christianismum non esse regnum politicum ac terrenum, aliàs non vas quasdam leges ipsis præscriberet, juxta quas regnum suum in his terris administrari debeat. Jam verò remittit eos ad legem veterem de mutua dilectione. 4. Ut insinuaret, se ex caritate mortem pro Apostolis & omnibus hominibus subire. Quia enim ex caritate mortuus, ideò morti vicinus caritatis præceptum discipulis suis inculcat. 5. Ut dilectionis dignitatem, necessitatem & utilitatem hac ratione commendaret. Caritas est virtus maximè divina, quia *Deus est ipsa caritas* 1. Joh. 4. v. 16. Caritas est virtus maximè Christiana, quia cum Christi vita absolutissimo caritatis exemplari congruit. Caritas est virtus maximè augusta, quia omnes reliquas virtutes in se complectitur. Ut ex radice arboris multi rami, sic ex caritate multæ virtutes generantur. Caritas est virtus maximè regia, quia lex caritatis est *lex Regalis*, Jac. 2. v. 8. ac caritas maximè decet spirituales Reges, Apoc. 1. v. 6. Conf. Schol. piet. lib. 4. part. 2. c. 13. 6. Ut manifestum faceret, Christianismum non consistere in externis Ceremoniis, aliàs præscripsisset discipulis certa genera vestium, discrimina ciborum, leges jejuniarum, sed in verà fide & sincera caritate. Ut autem hoc præceptum caritatis rectè intelligatur, quatuor potissimum notanda veniunt. 1. *Quis debeat diligere.* Præceptum novum do vobis, meis Apostolis. Sub Apostolorum autem nomine hic intelliguntur omnes Christiani, imò omnes homines, quia ut lex naturæ omnium hominum cordibus in prima creatione est inscripta, ita dilectio, quæ est summa legis, ab omnibus hominibus omni jure requiritur. Ut Christus omnes homines dilexit, siquidem pro omnibus sanguinem suum profudit; ita quoq; ab omnibus requirit, ut sese mutuò diligant, cum juxta exempli sui normam dilectionem exerceri requirat. 2. *Quid caritatis nomine significetur,* vel quid sit illud, quod ex dilectione proximo debeamus præstare. Vera caritas non tantum complectitur interiorum affectum, sed etiam exteriorum effectum, quod, quibuscunq; possumus officiis, proximum debeamus juvare, in infirmitates ejus ferre, nam vos condonare, necessitates sublevare &c. Chrysoft. ho-

mil. de Abrahamo: *Caritatem sinceram declarat non communio mensæ, non breve colloquium, non verborum adulatio, sed studium & sedulitas in considerando, quid proximo conducatur, ut erigatur, qui cecidit, & porrigatur lapsus manus, ut antè bona propria inquirantur, quæ proximi sunt. Hec est germana caritas, nam caritas non spectat ea, quæ sua sunt, sed prius videt, quæ proximi quàm quæ sua sunt. Confer. dicta superius in c. 156. Harmon. 3. Quos debemus diligere, Christus non dicit, præceptum novum do vobis, ut me diligatis, ut mihi infervatis, ac de honorifica sepultura prospiciatis, sed ut vos mutuò diligatis. Sanè obstricti sumus, ut non solum proximum, sed etiam Deum & Christum Mediatorem nostrum diligamus, imò proximum in Deo, propter Deum & sub Deo diligere debemus, sicut Bernh. in lib. de dil. Deo rectè dicit, ut perfectè fiat iustitia tua in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est, alioquin proximum diligere purè non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergò Deum diligere prius, ut in Deo diligatur & proximus, interim quia multi sibi persuadent, se diligere Deum, etiamsi non diligant proximum, & quia ad Christi Mediatoris ac capitis nostri dilectionem nos obstrictos esse facilè agnoscimus, egenos autem fratres contenta corporis mystici membra dilectione nostra indignos sepè iudicamus, ideò Christus ad fraternam dilectionem nos remittit, & ex ea de vera Dei dilectione iudicium faciendum esse præcipit. Nec dicit Christus, præceptum novum do vobis, ut omnes homines diligatis, sed ut vos mutuò diligatis. Dilectio certà quidem ratione ad omnes homines sese extendit, ut ex Christi exemplo superius docuimus, interim quia renati & Ecclesiæ filii arctiori vinculo sibi invicem sunt obstricti, ideò etiam speciali dilectione sese invicem complecti debent. Gal. 6. v. 20. 1. Petr. 1. v. 22. Tertull. in Apolog. c. 39. *Quantò dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis. Diligimus proximum propter Deum. Ergo quò quisq; Deo propior, eò magis à nobis diligendus. Sicut Deus generali dilectione complectitur totum genus humanum, interim tamen speciali favore credentes in Christum complectitur: ita quoq; nostra dilectio divinæ conformem sese gerere debet.**

4. *Quòdam amoris genus Christus à nobis requirat? Est caritas quædam carnalis & damnabilis, quæ adulter & adulterea sese mutuò diligunt; quædam naturalis, quæ parentes & liberi ob storgas Naturæ infitas sese invicem complectuntur. De neutra harum propriè Christus loquitur, sed de caritate spirituali, quæ credentes sese invicem Christi exemplo diligunt. August. tract. 65. in Joh. *Ut Dominus dilectionem, quam præcipit, à carnali dilectione distingueret, addidit. Sicut dilexi vos. Nam diligunt in vicem mariti & uxores, parentes & filii, & quæcumq; alia inter se homines necessitudo humana devinxerit, ut taceamus de dilectione culpabili atq; damnabili, quæ diligunt invicem adulteri & adulteræ, scortatores & meretrices, & quòscumq; alios non humana necessitudo, sed vitæ noxia turpitudine conjungit &c. Et postea. Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, non sicut se diligunt, qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam Dei sunt & filii Altissimi omnes,**

ut sint Filio ejus unico fratres, eà dilectione invicem diligentes, quàm ipse dilexit eos &c. Quid Christus nisi Deum dilexit in nobis? non quod ut habebamus, sed ut haberemus, ut perducatur nos, ubi sit Deus omnia in omnibus &c. Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum possumus invicem ad habendum in nobis Deum, curà dilectionis atrabamur. At in quo pectoris sinu, in quo cordis domicilio Christianam & sinceram ejusmodi caritatem inveniemus? refrigit, proh dolor, in plerorumque cordibus Mat. 24. v. 12. ut testantur bella magnatum, dissidia subditorum, contentiones Ecclesiasticorum, discordiæ politicorum, ambitio virorum, fastus mulierum, quæ omnia & hujus generis alia vitia complura sunt caritatis à Christo hic præscripta pestis præsentissima.

In posteriore hujus pericopes partes describitur lapsus Petri in prædicatione. Membra constitui possunt duo 1. *Prædicationis occasio, quæ est præsumtuosa Petri promissio. 2. Ipsa lapsus prædicatione, eademq; duplex, videlicet tum generalis tum specialis. Occasio prædicationis continet 1. Petri egrotum sive quæstionem. Postquam audivisset Petrus à Christo dictum esse, Filii adhuc paulisper vobiscum sum, quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire, præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuò &c. prorupit in hanc quæstionem. Domine, quò vadis? Quod solus Petrus reliquis tacentibus hanc quæstionem proponit, illud Cyrillus sic accipit, quod Petrus ut potestate senior ac autoritate major, non minus reliquorum omnium interroget. Miranda est, inquit, lib. 9. in Joh. cap. 25. *discipulorum modestia, non enim ceteri, quia intellexerunt, idcirco tacent, sed quia majori hoc committebant. Tribuit etiam cupiditati discendi in Petro ac proinde hoc nomine eum laudandum censet. Non parvè, inquit, laude mihi Petrus dignus videtur, qui tarditatis pudorem sapiens incumbentem nihil existimans, scire cupit, sciendique utilitatem omni tarditatis præponit dedecori, ita exemplo posterioribus factus est, ne docentis orationem, si obscurior est, prætermittamus, neve committamus, ut silentio nostro & intelligere & approbare videamur. Neminem ergo interrogare pudeat, cum multò major interrogandi atque discendi utilitas sit, quàm falsa sciendi opinio, existimatioq; inanis. Sed Chrysostomus homil. 72. in Joh. tribuit cupiditati Dominum sequendi potius, quàm ardori discendi. Magnum quiddam, inquit, est dilectio & igne ipso vehementius ipsum cælum petis, cuius vim nihil retardare potest, quare ejus fervore accensus Petrus audito eo, quod Christus dixerat: Quò ego vado, vos non potestis venire, inquit, Domine, quò vadis? hoc autem dicebat non tam discendi, quàm sequendi cum desiderio. Eadem est sententia Augustini tract. 65. in Joh. Bedæ ac Theophylacti in h. l. Et sanè 1. Sicut præceptum de dilectione, ita quoque hæc actio cum Petro ad omnes discipulos pertinet, cum in prædicatione lapsus Petri generali Christus in plurali loquatur. Satanæ expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ac post egressum è cœnaculo in genere ad omnes dicat: Omnes vos scandalum patiemini in me hac nocte. 2. Fieri ergo potuit, ut Petrus omnium nomine interrogaret, sicut etiam Mat. 16. v. 16. omnium nomine Christum Dei viventis Filium esse confessus erat. 3. Quamvis verisimilius videatur, ipsum suo tantum nomi-**

nomine interrogasse, & quidem vel discendi studio (quia mysterium passionis ac mortis aequè ac reliqui discipuli adhuc ignorabat, nec sensum verbi *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* in prophetico Christi sermone rectè assequeretur.) 4. Vel quod verisimilius est, ex *θερμότητι* & fervore, Christum, quocumq; abiret, sequendi, hanc quæstionem proposuit, ut intelligens, quòd Christus irurus esset, sese ipsi comitem fore polliceretur, quantiscumq; tandem periculis ac difficultatibus & via, per quam iret, & locus ad quem iret, esset obitus ac circumseptus, eo enim animo ac sine Petrum hoc interrogasse, ex subjecta ipsius promissione apparet. *Animam meam pro te ponam.* Atque hætenus & hoc respectu laudabilis fuit Petri affectus tum discendi, tum Christum sequendi, *δὲ ἰδὲ μὲν δεινὸν ἀνεπαύτως ἕως ἡμεῶν διδάσκων ἀνεπιφθόνως,* inquit Basilius in Epist. ad Gregor ac omnibus verè piis convenit, ut parati ac prompti sint Christum sequi, quocumq; eos duxerit. Sed & hoc in Petro laudabile est, quòd honorifico & apud discipulos usitato encomio Christum compellat, vocans eum Dominum. Domine, inquit, vel ut Syrus cum affixo legit, *Ὁ, Domine noster,* siquidem *καλῶς* bene ac rectè dixerunt discipuli vocantes Christum Dominum, Joh. 13. v. 13. interim tamen nec affectus, nec quæstio Petri ab omni prorsus navo absolvi possunt. Nam. 1. Christus aliquoties verbis peripicuis ac disertis sensum prædictionis de abitu suo proximè imminente exposuerat, ut ignorantia vel dubitationi nullus debuisset esse reliquus locus. Quando hoc loco dicit, *quòd ego vado, vos non potestis venire,* tum diserte addit, *sicut dixi Judæis.* Remittit ergo eos ad concionem Joh. 7. v. 33. c. 8. v. 21. ad Judæos publicè in templo habitam. In ea verò satis perspicuè exposuerat, quòd abiret, videlicet ad Patrem suum cælestem. *Adhuc modicum, inquit, vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.* Quid verò per illum abitum ad Patrem intelligendum sit, toties exposuerat, quoties de sua passione, morte, resurrectione & ingressu in gloriam ipsis concionatus fuerat, quòd quinque distinctis vicibus factum fuisse superius in c. 166. Harm. ostendimus. Id ipsum fecerat in concione ad Judæos habita, ad quam discipulos hoc loco remittit, Joh. 8. v. 29. *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quòd ego sim,* inde ipsimet Judæi intellexerunt, per abitum Christi mortem ipsius insinuari, dicunt enim v. 22. *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quòd ego vado, vos non potestis venire?* Cùm ergo toties ac tam disertis verbis phrasin de abitu suo Christus discipulis exposuerat, non debuisset Petrus ejus vim ac sensum ignorare. 2. Nec hoc caret omni vitio, quòd Petrus prætermisissis iis, quæ de mutua caritate Christus præceperat, tantummodò quærit, *Domine, quòd vadis?* ex quo apparet, quòd nimio opere ab externa & visibili Christi præsentia pependerit, ac de ea unice sollicitus necessariam de caritate admonitionem minoris, quam par erat, æstimaverit, eo magis propendens ut Christum sequeretur corporaliter, quam ut exemplum ejus in dilectione mutua imitando, ipsum sequeretur spiritualiter. 3. Ad quam classem etiam referendum illud, quòd cum jam antè aliquoties de Christi passione & morte audivisset, ad repetitam ejus proximè jam instantis prædictionem ita commovetur, ac si nihil quicquam de ea unquam audivisset. 4. Quin-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia.

imò cum Petrus præconceptam opinionem de terreno Christi regno adhuc foverit, videtur eo sensu quævisisse. *Domine, quòd vadis?* quòd suspicatus fuerit, Christum abiturum in regionem longinquam, ubi à Judæorum insidiis tutiorem ager vitam, & corporale suum regnum auspiceretur. Gualtherus homil. 129. in Joh. *Petro similes esse dicit, quòd de Christi præsentia altercantes caritatis obliviscuntur,* quibus verbis Ecclesiarum nostrarum Dd. majesticam Christi *θεανθρώπου* omnipræsentiam propugnantes ac Calvinianis eandem oppugnantibus fraternitatis dextram denegantes satis manifestè pungit. At maxima dissimilitudo est inter Apostolos ab externa & visibili Christi præsentia nimio opere dependentes, & inter Ecclesiarum nostrarum doctores majesticam Christi omnipræsentiam propugnantes. De illa enim Apostoli non tantum nullam habebant promissionem, quòd futura esset perpetua, sed etiam Christum disertis verbis contrarium docebat, videlicet quòd propediem mundum sit relicurus, & ad Patrem abiturus, id est, quòd visibilem & externam suam præsentiam ipsis sit subtracturus, sed de majesticam Christi præsentia perpetuò duratura extant manifestæ promissiones, Mat. 28. v. 20. Eph. 4. v. 10. Ap. 1. v. 13. &c. Rectius ergo Petro dicuntur similes, qui oscitanter verbum audiunt, qui carnali quodam affectu præpediti à vero ejus sensu aberrant, qui de cruce ex verbo quotidie audientes, ubi ad rem ventum, velut insoliti cujusdam accidentis novitate percelluntur, 1. Pet. 4. v. 12. &c.

2. *Christi ἀποκρίσιν* sive *responsionem.* Respondit ei Jesus, *quòd ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea.* Quòd prius dixerat, *quòd ego vado, vos non potestis venire,* illud hoc loco sic declarat, ut non simpliciter & absolute *τὴν ἀκολούθησιν* Petro neget, sed tantum hoc tempore, atq; interim spem faciat, fore, ut progressu temporis sequatur, sic ergo partim in tempestivum ejus desiderium Christum statim sequendi reprimat, partim spe bonâ ipsum suffulcit, ne se perpetuò à sequela exclusum arbitretur. *Dilationem intulit, non spem tulit, & eandem spem, quam non tulit, sed potius dedit, sequenti voce firmavit addendo, sequeris autem postea,* inquit, August. in h. l. Non respondet Christus directè ad Petri quæstionem, quippe quæ proficiscebatur ex ignorantia & carnali opinione de terreno Messia regno, sed ad sensum magis quam ad verba respiciens ita respondet, ut Petrum rectius informet, & spe suo tempore sequendi ipsum consoletur. Sensus enim responsi eò redit: Existimas, o bone, me aliquòd in regionem longinquam hinc abiturum, ubi ab hostium violentia securus corporale regnum inchoare possim, ac proinde me eò sequi cupidissimè desideras, sed opinione tuâ plurimum falleris, non loquor de corporali quodam abitu vel loci mutatione, sed de imminente mea passione & morte ac per eam ingressu in gloriam cælestem; in hac via non potes me nunc quidem sequi, interim quòd hoc tempore tibi negatur, secuturo tempore tibi concedetur, quando scilicet post meam in cælos ascensionem & ingressum in gloriam, unâ cum aliis in die Pentecostes accipies Spiritum Sanctum, cujus virtute ex alto indutus magnâ *παρρησίᾳ* cum præsentissimo vitæ discrimine, Evangelium in toto orbe prædicabis, ac expleto vocationis

I i i i 2

cationis tuæ cursu propter Evangelii confessionem mortis supplicium adibis & per mortem in cœlestem gloriam me sequeris. Utrumque ergo Christus complectitur, quando Petrum se aliquando secuturum dicit, videlicet quod secuturus sit ad mortem & passionem, ac quod secuturus sit in cœlestem gloriam. Causam, propter quam Petrus se nunc quidem non posse sequi ait non exprimit, interim facillè ea colligitur ex circumstantiis. 1. Petrus adhuc erat rudis & ignarus, somniabat terrenum Messia regnum, ergo per Spiritum Sanctum rectius erat prius informandus, antequam per mortem abriperetur, unde cum irruentibus hostibus Christus salvum conductum discipulis suis impetraret, Evangelista hoc ideo factum esse asserit, *ut implectur sermo, quem dixit, quos dedisti mihi, non perdidisti ex illis quemquam.* Johan. 17. v. 12. c. 18. v. 9. Quod si namque in illa ignorantia fuissent morte abrepti, salus ipsorum non fuisset extra periculum. 2. Nec solum rudis adhuc & ignarus erat Petrus, sed etiam in fide infirmus & imbecillis, ergo per Spiritum Sanctum prius erat virtute ex alto induendus ac muniendus, ut pro Christo intrepidè mortem subiret. Luc. 24. v. 49. Augustin. tract. 65. in Johan. *Quid festinas, Petre, nondum te suo Spiritu solidavit petra. Noli excolli presumendo, non potes modò; noli deieci desperando, sequeris postea.* Cyrillus lib. 9. in Joh. c. 26. *Duplicem hic locus sensum parturit, quorum primus & quasi iricus atq; facilius est, quod modo non possit Christum ad cœlos euntem sequi, secuturum autem postea, cum superne civitatis factus civis cum aliis sanctis unà cum Christo regnabit. Alter occultior ac enigmaticus, quod nondum virtutem ex alto induti, nec Spiritum corroborantem ipsos & Naturam eorum quodammodo reformantem habentes non poterant mortis pericula contemnere & terrorem ejus penitus superare.* 3. Nec dum expleverat Petrus vocationis & ministerii sui cursum, sed Evangelium unà cum reliquis Apostolis in toto terrarum orbe prædicare debuit, antequam illius veritatem suo sanguine confirmaret. Ergo etiam hoc nomine Christum nondum sequi poterat, quamvis præcipuè ad Petri imbecillitatem robore Spiritus prius confirmandam Christum in his verbis respexerit. 4. Cyrillus d. l. addit aliam causam, quod per Christum mors prius fuerit superanda, antequam Petrus eam pro Christo adire posset. *Soli, inquit, Christo inerat, ut posset vires mortis confringere, quod alios ante ipsum fecisse non est credibile. Quid enim aliud est, mortem non timere, quam mortem, quia nihil mali nobis afferat, contemnere? Propterea, ut ego arbitror, etiam ipsi beati Propheta mortem perhorrescebant, quia nondum per resurrectionem Christi erat dejecta, &c. prima mortis dissolutio Salvatoris Christi passio fuit. Resurrectio sanè Christi contemnenda mortis origo facta est. Cum igitur vita secundum Naturam mortem adhuc non depressisset, nec formidinem, quam nostris animis ingerebat, infregisset, imbecilliores non injurià ad hæc pericula discipuli erant. Sed passio Christi profuit, antequam fuit, ac beneficium superatæ per Christi mortem nostræ mortis non tantum ad tempus Noyi, sed etiam Veteris Testamenti pertinet, ut exempla piorum Martyrum in Veteri Testamento testantur. Quamvis verò Christus in specie & directè his verbis compellet Petrum, ipsiq; prædicat, quod per mortem sese aliquando*

secuturus sit, unde Cyrillus haud absurdè censet, mortem crucis rectè & anigmaticè Petro hic prædictam esse, quæ interpretatio robor sortitur ex Johan. 21. v. 19. ubi postquam Christus significasset, quo mortis genere Petrus Deum glorificaturus esset, statim subiecit, *sequere me*, id ipsum factò representans, quod verbis prius prædixerat: tamen quod Petro dictum fuit, illud in persona Petri omnibus dictum voluit, omnes enim suo tempore Christum sunt secuti ac nullus eorum hoc tempore ipsum sequi poterat. De Johanne Apostolo quidem testatur Historia Ecclesiastica, quod placidà morte Ephesi obierit, nec propter Christum & Evangelium ejus sanguinem profuderit, quod ipsum etiam de Philippo, Thoma, Juda Jacobi & Matthia Dn. Chemnic. in cap. 50. Harm. ex Historiis asserit, videlicet quod sine Martyrio placidà morte vitam finiverint, interim quia propter Evangelii prædicationem perpetuis adversitatibus, persecutionibus & mortis periculis per omnem vitam subiecti fuere & hac ratione pro Christo *quotidie morui* 1. Corinth. 15. vers. 31. quia non defuit illis pro Christo moriendi animus, & quia per mortem in gloriam cœlestem sunt ingressi, ideo de illis non minus quam de Petro & reliquis, qui Martyrio coronati sunt, dici potest, quod suo tempore Christum secuti fuerint. Observari etiam potest illud, quod Christus de Petri & aliorum Apostolorum Martyrio verbis sub obscuris loquitur, sed post resurrectionem, quando jam videbant, ipsum esse mortis victorem, verbis clarioribus illud prædicat, quando Johan. 21. vers. 18. postquam oves suas Petro pacendas commendasset, subjungit. *Amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te & ambulabas quò volebas, cum autem senueris, extends manus tuas & alius te cinget & ducet, quò non vis.* vers. 19. *hoc autem dixit, significans, quò morte glorificaturus esset Deum.* Cyrillus addit, Christum de sua quoque morte obscure in his verbis locutum esse, ne discipulos nimio opere contristaret. *Cum sciret, inquit, non parvo se marore discipulos affecturum, si manifestè cœlos petere dixisset & corporali suà presentia ipsos denudare, occultius totam rem, ut lateret, significavit. Solent quippe omnes, qui sapientes sunt, umbris tegere, quæ auditoribus merori sunt.* Sed cum & ante hunc sermonem & post illum satis perspicuè de sua passione & crucifixione aliquoties discipulis fuerit concionatus ac phrasin de suo ad Patrem abitu satis perspicuè declaraverit, ideo in se ac per se nulla inest prædictioni huic de morte Christi obscuritas, sed tantum respectu habito ad præconceptam discipulorum de terreno Messia regno opinionem. Colligitur autem ex his Christi verbis, 1. Omnibus omnino fidelibus certum tempus esse divinitus præstitutum, quo ex hac vita per mortem vel placidam vel violentam ob Christi confessionem tolerandam Dominum suum sequi possint ac debeant, quod nemini licet melioris vitæ desiderio antevertere, quodque ut persecutores antevertant & fideles ante illud tempus è medio tollant, à divina providentia nequaquam ipsis conceditur Psalm. 31. v. 16. 2. Ut mortis, ita quoque crucis & afflictionis certum tempus ac certam mensuram cuilibet fidelium divis

niru-

nitus esse præstitutam, quando scilicet & quantum propter Christum pati, ipsumque per crucis viam sequi debeat. Mat. 16. v. 24. Luc. 14. v. 27. Rom. 8. v. 29. &c. 3. Neminem in via crucis & mortis Christum præeuntem posse sequi, nisi Spiritus Sancti virtute prius induatur & armetur. Cum *caritas Dei per Spiritum Sanctum in cordibus Apostolorum diffusa esset* Roman. 5. v. 5. tunc demum poterant Christum per viam crucis & mortis sequi. 4. Rogandum igitur Deum ac quotidianis gemitibus ad ipsum suspirandum esse, ut quod cœpit in nobis opus bonum, Spiritus sui gratiâ & virtute perficiat. Psalm. 68. v. 29. Phil. 1. v. 6. ut nos *consummatos reddat, stabilizat, roboret ac fundet* 1. Petr. 5. v. 10. &c. 4. Deo notam esse infirmitatem nostram, atque exactissimè ipsum nosse, quàm infirmi sumus ad portandum crucis onus, unde etiam nemini plus imponit, quàm ferre possit. 1. Cor. 10. v. 13. 6. Deum mirabiliter sanctos suos ducere ac regere, siquidem illos, qui modò infirmi sunt, progressu temporis ita roborat & confirmat, ut vitam ipsam propter Evangelii confessionem profundere minime reformident: ac vicissim illos, qui viribus suis nimium confidunt, iusto iudicio ita destituit, ut carnalis ipsorum præsumptio in turpem apostasiam definat. Psalm. 4. v. 4. &c. 7. Pios non semper aequali Spiritus robore esse præditos, nec ad quavis fortiter sustinenda semper instructos, qui cum propterea non abjiciantur à Deo, ideo nobis quoque incumbere, ut infirmos in fide toleremus. Rom. 14. v. 1. c. 15. v. 1. &c. 8. Omnia desideria ac vota nostra divinæ voluntati reverenter esse subijcienda, ne præfixos limites transgrediamur. Quod non nisi divinâ virtute possumus, illud antequam divina voluntate facere iubeamur, nostris viribus consili aggredi non debemus.

3. *Petri autem epōtōngw ac replicam; Dicit ei Petrus, Domine, quare non possum te sequi nunc? Animam meam pro te ponam.* Videbatur sibi petræ instar firmus ac fortis, unde Evangelista dicit, *Petrum hæc protulisse, sed mox à Christo audit. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos &c.* quasi diceret, *Petrus tibi videris, sed præstaret te nomine Simonis admonitum me audire, quod non possis me sequi modò, ac humiliter petere, ut contra lapsum imminuentem virtute Spiritus confirmeris. Domine, inquit, quare non possum te sequi nunc?* Syrus reddidit cum affixo, *Domine mi, ut familiaritatis, amoris & reverentiæ affectum in Petro exprimeret. Non dicit, quando te sequar, sed ad prius prædictionis membrum respiciens, quærit, quare te non possum sequi nunc? nihil causæ subesse video, quò minus hoc tempore, quò maximè velim, te sequi possim? neque enim tam quærit de ratione dicti à Christo prolati, quàm verbis Christi contradicit, cum interrogatio, ut alibi passim, ita quoquo hoc in loco vim negationis habeat. Adeone me vecordem & ingratum æstimas, ut à complexu & confortio tuo me avelli passurus sum? Animam meam pro te ponam, id est, sanguinem & vitam cum te ac pro te profundere non dubito, animæ enim nomen per usitatum Hebraïsmum ponitur pro vita, ac verbum simplex *ἑσσω* ponitur pro com-*

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Contin. pars tertia.

posito, vitam meam pro te & propter te ponam, ac mortis periculo eandem exponam. Non excidit animo meo, quantis à te affectus sim beneficiis. Vocasti me ad Apostolatus dignitatem, de omnibus necessariis abunde mihi prospexisti, ad Evangelium in Judæa prædicandum unâ cum aliis me ablegasti, potestatem miracula edendi mihi contulisti, de mysteriis regni cœlestis me fideliter informasti, & ut beneficia, quæ cum aliis communia abs te accepi, jam prætermittam, nomen Cephæ mihi imposuisti, transfiguratione tuâ in monte Thabor factâ, ut & resurrectioni filiæ Jari me peculiariter adhibuisti, gustavi in corde meo cœlestis gaudii dulcedinem, ergo nullum periculum, nulla vis, nullus hostis me à latere tuo avellet, tecum vivere & mori paratus sum. Quanam via tam ardua, quàm unâ tecum ingredi non possim? quæ regio tam remota ac dissita, ad quam tecum pergere nequeam? quis labor tam durus ac difficilis, quem propter te subire metuum? quod periculum tantum, quod me à complexu tuo avellere possit, cum me ipsum totum tibi consecraverim? Dignus quidem laude, vel certè excusatione Petri zelus, quod *ἑγὼ εἶπα τὸν ἀδελφόν* non simulatè, sed serio se cum Domino & pro Domino meritum promittit, (serium enim hunc fuisse affectum eo ipso ostendit, quando stricto gladio cum præsentissimo vitæ periculo in medios hostes irruit, ut ex ipsorum manibus Magistrum suum liberare posset) interim multa simul concurrunt, quæ non laudem vel excusationem, sed potius reprehensionem merentur. Primò enim non adhibet plenam fidem verbis Christi bis repetitis, *quò ego vado, vos non potestis venire, sed existimans timorem periculi tantum in illis taxari, Magistro suo contradicit ac parum abest, quin mendacii eum arguat, peccat igitur incredulitate & inobœdientia adversus Christum. Augustinus sermon. 124. de temp. Verus & cœlestis Medicus venam cordis inspexerat, & quâ horâ tentationis pondus vel infidelitatis frigus venturum esset, prædixerat. Medicus prædicebat & egrotus negabat. Sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit, quod promiserat homo & verum apparuit, quod prædixerat Deus. 2. Rationem præposterè exquiri, quare non possit Christum nunc sequi, quod curiositati tribuendum, cum nostrum non sit futuram divinæ circa nos providentiæ dispensationem inquirere, sed præsentia curare & verbis Domini sine scrupulosa divinorum consiliorum perscrutatione adhærere. Similis curiositas in Petro animadvertitur Joh. 21. v. 20. ubi audita mortis suæ prædictione conversus ac videns Johannem sequentem dicit: *Domine, quid verò iste?* 5. Propriis suis viribus nimium fidet & fiducia sui ipsius pollicetur, quod non erat suarum virium, sed divinæ gratiæ & potentiæ 1. Pet. 1. v. 5. Augustinus tract. 66. in Joh. *Quid in animo ejus esset cupiditatis, videbat, quid virium, non videbat. Voluntatem suam præcebat infirmus, sed inspiciebat valetudinem Medicus. Iste promittebat, ille prænoscebat. Qui nesciebat, audiebat, & qui præciebat, docebat. Quantum sibi assumserat Petrus incuendo quid vellent, ignorando quid posset. Quantum sibi assumserat, ut cum venisset Dominus animam suam ponere pro amicis suis, ac per hoc & pro ipso, ille hoc Domino offerre consideret & nondum pro se positâ animâ Christi, animam suam polliceretur se positurum esse pro Christo?* Cyrillus*

Iiiii 3

in h. l.

in h.l. *Magna quidem laude dignus est ejus amor erga Christum, ex quo flagrantia hæc verba proficisciebantur velut ex fornace, sed virium suarum imbecillitatem non expendebat, quam animadvertere, auxiliumque divinum implorare oportuerat.* 4. Hoc vero omne oriebatur ex falsa de terreno Messia regno persuasione, ex ea enim in illam devenerat opinionem, quod regnum Christi corporalibus armis defendi possit ac debeat, & quia in arbitrii humani libertate relictum est, arma induere vel deponere, gladium stringere vel recondere, inde existimabat sibi satis virium esse ad arma pro Christo capienda, etiam si cum vitæ periculo id futurum sit conjunctum. Colligitur ergo ex hoc loco 1. Quod quæ in Petro laude digna, ad imitationem; quæ verò taxanda, ad dehortationem nobis sint proposita. Petri zelus & amor, quo paratus est pro Christo animum ponere, omnes nos admonet, ut ipsi quoque parati simus non solum opes, sed etiam vitam & sanguinem propter Christi confessionem profunderere, interim ab hoc zelo abesse debet carnalis confidentia ac præsumptio de propriis viribus, quæ in turpissimam apostasiam ac fugam tandem abire solet. Sibi fidere, non fidei est sed perfidia. 2. Caveamus insuper, ne Christo & verbis ipsius contradicamus vel fidem eis derogemus. *Esa. 45. v. 9.* neve causas divinatorum consiliorum vel futuros eventus curiosè scrutemur. 3. Quia propriarum virium fiducia, incredulitas curiositas &c. omnibus post lapsum per Naturam insita, ac in ipsorum etiam renatorum carne corruptionis hujus reliquiæ adhuc supersunt, ut in Petri exemplo apparet, ideò ad Deum jugiter ingemiscendum, ut Spiritu suo nos regat, & carnales affectus per Spiritum sunt mortificandi, ne dominium consequantur. 4. Quando de cruce audimus & extra periculi aleam adhuc constituti sumus, magna de nostris viribus nobis promittimus, ac in persecutionibus & in ipsa morte constantes nos fore gloriamur; cum primis verò quando in cognitione Christi progressus aliquos fecimus, nihil non nobis ipsis tribuimus, ac pericula alto supercilio contemnimus, sed quando re ipsa pericula & adversa ingruunt, tunc de nostrarum virium infirmitate convincimur. 5. In piis & renatis non est perpetuò æquale Spiritus robur, nec eadem lux divinæ cognitionis, nec unus idemque semper affectus. Petrus hæcenus Christum de mysteriis regni cœlestis omnem humanæ rationis captum excedentibus differenter sine contradictione audiverat, pro præceptore agnoverat & fidem ipsius verbis habuerat, sed hoc tempore futurum lapsum prædicenti fidem habere dubitat. 6. Stapulensis in h. l. rectè monet, quod hæc infirmitas carnis per Spiritum Sanctum in Petro postmodum fuerit emendata. *Talis, inquit, fuit Petrus ante Spiritus Sancti adventum, sed per Spiritum Sanctum in alium virum fuit mutatus. Tunc intellexit se nihil esse, nihil scire, nihil posse, ac tunc maxime fuit, potuit & servit, nam ipse fuit supra suum esse, potuit supra suum posse, servit supra humanum scire, non tamen ipse, sed gratia Dei cum ipso.* Atque hæc fuit prædictionis occasio, videlicet præsumtuosa Petri promissio, sequitur ipsa lapsus prædictio, quam duplicem esse diximus, generalem & specialem. Generalis omnes Apostolos concernit; nec exprimit vel

tempus vel speciem lapsus; specialis verò ad solum Petrum pertinet, cui & tempus & species lapsus à Christo prædicatur. In generali prædictione occurrit 1. *Confidentia repressio. Respondit ei Dominus Jesus & ait: Animam tuam pro me pones?* Quod hæc non sint legenda in sensu affirmandi, juxta quem *Joh. 21. v. 18.* dicitur, *cum senueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet, quò non vis,* sed cum signo interrogationis, patet ex contextu & ex illis, quæ immèdiatè apud Johannem sequuntur. *Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Interrogatio autem illa hoc loco habet vim negandi, ac inservit repressio carnalis confidentiæ. Tunc pro me vitam tuam hoc tempore impenderes? nequaquam hoc facies, etiam si præsumtuosè illud promittas. Tantum abest, ut vitam tuam propter me in periculum sis adducturus, ut etiam me negaturus sis & siquidem hac ipsa nocte, nec semel tantum, sed etiam tribus vicibus. Non solum animam tuam pro me non pones, sed insuper fidei confessionem depones; non solum mihi non adhærebis debità constantià, sed etiam me negabis turpi apostasiam. Extra periculum fortis tibi videris, sed cum adversa ingruent, proprio experimento infirmitatem tuam intelliges. *Augustinus in h.l. Itane facies pro me, quod ego nondum feci pro te? animam tuam pro me pones? Præire potes, qui sequi non potes? quid tantum presumis? quid de te sentis? quid esse te credis? Audi, quid sis. Non cantabit hodie gallus, donec ter me neges. Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris & te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori posse pro me, prius vive pro te, nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis anima tuæ. Quanta enim vita est consecrari Christum, tanta mors est negare Christum.* Apparet autem ex his verbis 1. *Christi mansuetudo ac benignitas.* Non abjicit Petrum propter præsumptionem & confidentiam, non expellit è cœnaculo vel discipulorum confortio, non amarulentè aut acerbè ipsum, uti meritis erat, insectatur, sed patienter tolerat, humaniter informat, comiter taxat. Hæc mansuetudo Christi, nobis proposita est non solum in solatium, quod eodem modo nobiscum agere velit, *Esa. 42. v. 2. Mat. 11. v. 28.* sed etiam in exemplum, quod eodem affectu infirmitates proximi tolerare debeamus. 2. *Christi fidelitas.* Novit quantum Petro imminet periculum, ideo præsumptionem ejus reprimit & carnalem propriarum virium fiduciam reprehendit, atque eo ipso nos omnes admonet, ut carnis nostræ infirmitatem agnoscentes constantiam in periculis & robur Spiritus à solo Deo petamus & expectemus. 3. *Carnis nostræ ingenium ac perveritas.* Multa promittimus, pauca præstamus, extra periculum leones sumus. In periculis cervi ac lepores. *Jerem. 17. v. 9.* Animas pro Christo & pro fratribus ponere pollicemur, sed cum ad rem ventum est, ne quidem caducas opes pro ipsis ponimus. 1. *Joh. 3. v. 16.*

2. *Periculi imminentiæ expressio.* Postquam negaverat Christus, Petrum pro se animam positurum exprimit & aperit ei imminens periculum. *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, quasi dicat: Magna quidem promittis, sed nescis virium tuarum infirmitatem ex parte una, nescis*

nescis Satanæ insidias & potentiam ex parte altera, inde animam pro me positurum præsumtuosè polliceris. Vulgata versio habet. *Dixit autem Dominus Simoni*, quomodo etiam Syrus reddidit *דָּבָר*. Sed in Græco textu vocativus *Σίμων* bis ponitur; *Simon, Simon, ecce Satanas vos expetivit* &c. quo modo etiam legunt non solum Græci interpretes, sed etiam quidam Latini. Hieronymus in Dialog. adv. Pelagian. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 1. Beda in comment. h. l. Alloquitur autem Christus Petrum nomine proprio, ut seipsum, quis sit & quid ex se sit, magis consideret nec *Petrum* ipsum vocat, sed *Simonem*, ut admoveat, quod huic nomini suo respondere, seq; in audiendo attentum præbere debeat. Quod solum Petrum alloquitur, cum tamen ad omnes periculum pertineret, in eo ut in aliis compluribus prærogativam Monarchiæ cuiusdam potestatis Petro datæ Pontificii quærunt, ut apparet ex Bellarm. lib. 1. de Pontif. Roman. c. 20. & Maldonato in comm. h. l. sed ex contextu & ex prædictionis complemento apparet, Christum ideo specialiter ad Petrum sermonem dirigere, tum quia Petrus solus quasi verat, *Domine, quò vadis*, seq; cum ipso iturum & mortem subiturum promiserat, tum quia gravius, quam ceteri Apostoli erat peccaturus, non solum à Domino fugiendo, quod peccatum cum reliquis ipsi fuit commune, sed etiam Dominum negando, quod peccatum fuit ipsius proprium. Geminatio sive conduplicatio nominis *Simon* 1. Denotat singularem animi affectum & benevolentiam in Christo Petrum alloquente Luc. 10. v. 41. 2. Excitare debuit in Petro attentionem. 3. Amplificat periculum, quod Christus Apostolis prædicat. 4. Acuit exhortationem, quæ prædictioni statim subiungitur. Actor. 9. v. 4. Sensus igitur est, ò dilectissime Petre, magna præsumis de tuis virib; sed nescis, quantum tibi tuisq; collegis impendeat periculum, subijciam illud oculis vestris, æquum est vos prædictioni & exhortationi meæ diligenter attendere. Eidem excitanda attentionis fini inservit particula *id est Ecce*, qua Christus se tale quid Apostolis hac vice dicturum innuit, quod hactenus non venerit ipsis in mentem, quodq; inter usus reliquos tum affirmationem exaggerat Gen. 1. v. 29. tum attentionem ex rei cuiusdam mirandæ & insolitæ novitate excitat Eccl. 7. v. 14. Mat. 21. v. 5. *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*. Hisce verbis exprimit Christus causam principalem & impulsivam lapsus tum Petri tum reliquorum Apostolorum, quæ sunt gravissimæ tentationes Satanæ, quibus conatus fuit per scandalum passionis & crucis Christi, in omnium Apostolorum, præsertim verò Petri corde fidem penitus extinguere atque hac ratione in æternum exitium ipsos præcipitare. Singula autem verba valde sunt emphatica. Diabolum suis tentationibus Apostolos aggressurum vocat *Satanam*, id est, adversarium quia in hoc opere reverâ sese Satanam h. e. humanæ salutis adversarium esse demonstravit, quò procul dubio Petrus respexit, quando superatâ hac tentatione de Satanæ insidiis & potentia alios præmonens sic loquitur 1. Epist. 5. v. 8. *ὁ ἀντίδικος ἡμῶν* Diabolus tanquam leo rugiens circuit querens, quem devoret. Verbum *ἐξηγησάτο* vulgata versio, eamq; secutus Erasmus reddidit *Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia.*

runt, *expetivit*, sed Tertullianus in lib. de fuga in persecut. Cyprian. l. 4. Epist. 4. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 9. verterunt, *postulavit*; Ambrosius in Pf. 43. Leo ferm. 2. de nat. Apostolorum Petri & Pauli, *expostulavit*, ne quis nudum Satanæ nocendi cupidissimi desiderium, quod nullo jure, nullâ potestate nitatur & à quo nihil periculi metuendum sit, hoc verbo describi opinetur. *ἐξαιτέιν* & *ἐξαιτέιναι* apud Scriptores profanos (in Codice enim sacro hoc verbum alibi non occurrit) usurpatur pro eo, quod est 1. *Exposcere ad penam* *ἐξαιτέιν ἐπὶ τιμωρία* ac sine adjectione *ἐξαιτέιν*, sicut etiam Latini *exposcere* vel *deposcere* pro *exposcere ad pœnam* dicunt, *jur Straffe einen abfordern / dedendum petere*. Liv. lib. 8. de bello Macedonico. *Legatos misit ad deposcendos auctores defectionis* &c. quos nominatim *deposcerat*, ipsi se *ieuros professi sunt*. Ilocrat. in Trapez. *εἰν δὲ μηδὲν τῶν παλαιῶν παρ' ὑμῶν ἐξαιτέιν, ut me à vobis exposcerent, ut me à vobis dedi sibi postularent*. Plutarch. in Narr. amat. *εἰς πέμπουσι Θεσσαιῶν ἐξαιτέιντες τὰς φωνὰς Φονεῖς*. Demosth. dicit, se *ἐξαιτέιναι ὑπὸ Φιλίππου & ὑπὸ Ἀλεξάνδρου*, ubi verbum *ἐξαιτέιναι* in hac significat. ponitur passivè, *exposci ad pœnam*, sed in eadem significatione occurrit usurpatum activè in *διαδέσσει* media. Plutarch. de orac. defectu *ἕως ἰαχουροὶ καὶ βίαιοι δαίμονες ἐξαιτέμενοι ψυχὴν ἀνθρώπινην περιχομένην σώματι*. 2. *Exposcere ad questionem sive torturam* *ἐξαιτέιν εἰς βάσανον* ac sine adjectione *ἐξαιτέιν*. Demosth. *πρὸς Ἀφῶδον, ἐξαιτέιν τὸν παῖδα*. *Servum ad questionem postulare*. Idem *ἐξαιτέιν τὰ ἀνδράποδα εἰς βάσανον*. Budæus in Lex. pag. 45. v. 3. *Exposcere ad duellum* vel singulare certamen, quemadmodum gladiator aut hostis aliquem à Rege deposcit, ut certamen cum ipso ineat, quod Goliathum fecisse legimus 1. Sam. 17. 8. *einen ausfordern*. Hæ significationes omnes huic loco congruunt. Satanæ enim deposcit Apost. ad pœnam tanquam jus in eos habens propter peccatum, postulavit eos sibi dedi tanquam perduelles ad pœnam trahendos, postulavit etiam à Deo, absq; cujus permissione nihil potest, ut sibi liceret certamine singulari cum Apostol. congregari & tentationibus velut fidiculis ipsos divexare, sicut olim Jobum ad tentationem poposcerat & impetraverat. Job. 1. 11. c. 2. 5. In quo exemplo pulcherrimè hujus verbi *ἐξηγησάτο* comment. proponitur. Syrus reddidit per *דָּבָר* *postulavit*, quod LXX. per *αἰτέιναι* Ex. 11. 2. *ἐπαίτιναι* Pf. 108. 9. *παραιτέιναι* 1. Sam. 20. 6. Expresserunt. Dicitur autem Satanæ *postulasse* præcipuè quidem Petrum, ad quem Christus sermonem suum specialiter dirigebat, quiq; gravius reliquis lapsus est, non tamen solum, sed omnes omninò Apost. Satanæ postulavit vos, & quidem hoc fine, *ut cribraret vos sicut triticum*. *συνάσαι* est *concutere, agitare, instar tritici in cribro*, sicut Christus ipse metaphoram explicans statim addit, *ὡς τὸν σῖτον*. Hesyech. exponit per *κοσκινώσαι & σείσαι*. Glossarium vetus *σινάσαι* dicit esse *ῥυπαρίων τὸ σῖτος detrimentum tritici*, ac *σινάσαι* est *cribrum*. Syrus reddidit per *דָּבָר* *commiscere*, grana enim dum cribrantur, commiscetur & confunduntur. Significatur igitur, quod Satanæ à Deo postulaverit sibi permitti, 1. Ut tentationibus suis Apostolos ageret, concuteret, sicut triticum in cribro vel vanno circumagitatur, inde Chrystomus homil. 83. in Matth. & Theophylactus in Luc. *σινάσαι* exponunt per *ταράσαι, βλάψαι, θορυβήσαι, περιάσαι*, ac Cypr. I iiii 4 d. l. red-

d. l. reddidit, ut vexet vos. 2. Ex antecedente intelligitur consequens. Quemadmodum enim in cribratione grana quædam ob vehementem concussionem excidunt, & cum paleis vel pulvere simul pereunt: sic Satanas ideo voluit Apostolos in cribro tentationum agitare & concutere, ut fidem illis penitus excuteret, ut ipsos æquè ac Judam ad prodicionem, ita ad totalem & finalem apostasian impelleret, adeoq; corpore & animâ ipsos perderet. Sensus igitur est, Satanas postulavit, ut vos non solum agigaret & concuteret, sed etiam dispergeret ac perderet, ut tentationibus ex mea passione & morte oriturus fidem vobis penitus excuteret, sicq; gratia Dei & salute æternâ non solum totaliter, sed etiam finaliter excidatis, unde paulò post Christus omnibus prædicit, quod scandalum sine passuri ac omnes ab ipso fugituri, ostendens illos non solum concutiendos & impetendos esse, sed etiam aliquo modo superandos. In applicatione similitudinis occurrit quædam diversitas. Quidam existimant respectum haberi ad proverbium, aquam cribro haurire. Quemadmodum aqua cribro hausta effluit ac diffluit, sic Satanas hoc unice agit, ut fides vestra scandalo passionis & crucis meæ agitata instar aquæ fluentis elabatur. Sed Christus disertè addit, à tritici cribratione methaphoram esse desumptam. Stapulentis sic progreditur. *Cribratio Satanae sese habet opposito modo, (quàm cribratio vulgaris ac propriè dicta.) Nam cum cribratur triticum, bonum remanet & quod malum est, excutitur: cum autem cribrat Satanas, quod bonum est, excutitur, & quod malum est, remanet, paleas enim amat, quæ igni comburantur inextinguibili, & granum odit, quod factum est, ut vivificetur ad vitam æternam. Sed simplicissimum videtur hanc methaphoram eo modo, qui paulò ante expositus fuit, accommodare. 3. Quia verò grana concussione tritici non solum agitantur, sed etiam simul purgantur, ideo Christus hac methaphorâ etiam innuit, fore ut hac ratione Apostoli tentationibus Satanae velut cribro agitati purgentur, unde verbum *συνασας* à Tertulliano, Ambrosio & prospero d. l. redditur per *cerneret, discerneret, ventilaret.* Ambrosius in Psal. 43. *Sicut triticum si ventilatur & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit, sed est paleis concretum atque permixtum: ita etiam homo nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti paleas à se non potest separare. Unde etiam ad Petrum dictum est, Simon, ecce Satanas exposulavit, ut ventilet vos sicut triticum &c. Ventilatur Petrus, ut Christum negare cogatur. Incidit tentationes, quadam locutus est quasi plena palearum &c. Cogitur & adversarius sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit, ut qui tentatur, possit alios instituere, qui sibi ipsi invalidus videbatur &c. Conversus est sanctus Apostolus Petrus ad bonam frugem & ventilatus est sicut triticum, ut esset ipse cum sanctis Domini unus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus, Petri præcepta cognoscimus, sit nobis vita æterna & salutis alimentum. (Interim tamen hic Ambrosii locus cautè legendus, quæ enim pro exculpatione Petri ibidem addit, illa suppresso nomine resellentur ab Augustino tract. 66. in Johan.) Calvinus quidem satis pro imperio in h. l. scribit, similitudinem cribrandi non omni ex parte scopo Christi quadrare, cum**

Satana nihil minus placeat quàm fidelium purgatio, sed notandum, quod Christus cribrationis similitudine non tantum ad Satanae tentantis propositum, sed etiam ad Dei tentationis Satanicæ permittentis consilium & salutarem tentationis eventum ex Dei benignitate secutum respectum habeat. Satanae propositum fuit, Apostolorum fidem penitus extinguere, ut gratiâ Dei & salute æternâ finaliter exciderent, sed Deus tentationem sic moderatus est, ut ad Apostolorum bonum, videlicet ad purgationem & confirmationem ipsorum cederet, unde Christus statim addit. *Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* propterea Beza Calvino non obscure contradicens ad hunc lobum sic annotat. *Cribrandi & cernendi significatio tum deum convenit, ubi de Dei consiliis agitur in Ecclesia sua non perdenda sed repurganda.* Respectus hujus divini consilii & salutaris eventus similitudo isthæc Christi videri posset desumpta ex Amos. 9. vers. 10. *Ecece ego præcipiam, ut cribretur inter omnes gentes domus Israel, quemadmodum cribratur aliquid in cribro & non cadet lapillus (granum bonum instar lapilli ponderosum) in terram.* Quemadmodum frumenta cribro à paleis, pulvere & levibus ac inutilibus granis separantur, ita ego populum meum variis tentationibus & afflictionibus cribro, ut pii & boni, qui sunt triticum, mirabiliter ferventur, mali verò, qui sunt pulvis & palea Psalm. 1. vers. 4. Matth. 3. vers. 12. delectantur & pereant. Quidam etiam huc accommodant dictum Sirac. 27. v. 5. *ἐν σείσματι κοσκινὴ διαμένει κορὴ αἰῶνος σκύλα ἀνθρώπων ἐν λογισμῷ αὐτῆς.* In concussione cribri remanebunt stercora: sic spolia hominis in cogitatione illius. Vulgata versio pro σκύλα legit ἀπορία perplexitas, alii legunt σκύβαλα quisquiliae, sordos. Quemadmodum in concussione cribri pulvererum stercus, quisquiliae, fures, palea & alia rejectamenta manent in cribro, pura verò farina decedit, adeoque quod vilis est & deterius, in cribro manet, quod melius ac præstantius delabitur: sic in cogitatione hominis sæpe quod melius est, prætermittitur, quod deterius, animo adhæret ac retinetur. Videtur enim Siracides de illo cribrorum genere loqui, in quibus farina, calx & alia hujusmodi res eo modo expurgantur, ut rejectamenta, videlicet lapilli, arena, fures, pelea duriores in cribro remaneant, farina autem & calx decedat, ut ostendit verbum *διαμένει*: Amos verò de illo cribrorum genere loquitur, in quibus grana & alia res ita expurgantur, ut rejectamenta, videlicet pulvis, arena, grana inutilia defluant, pura autem & ponderosa grana in cribro remaneant, ut ostendit verbum *לפפ*. Prior similitudo applicari potest ad tentationes malorum & hypocritarum. Quemadmodum enim quædam cribra deterius servant, præstantius transmittunt, sic impii & hypocritæ tentationum cribro agitati ob honores, divitias, voluptates & bona hujus seculi confessionem Evangelii, fidem, Dei gratiam & salutem æternam abjiciunt, atque hac ratione deterius servant, præstantius amittunt. Posterior similitudo applicari potest ad tentationes piorum & verè credentium. Quemadmodum quædam cribra præstantius servant, dete-

dete-

deterius abjiciunt: sic pii & verè credentes tentationum cribro agitati confessionem Evangelii, fidem, Dei gratiam & salutem æternam retinent, honores, divitias, voluntates & bona hujus seculi abjiciunt, atq; hac ratione præstantius servant, deterius amittunt. Christus hoc loco magis respicit ad posterius cribrorum genus ac proinde magis ad locum Amos, quàm Siracidis. Quemadmodum enim in concussione cribri pulvis excidit, triticum verò non læditur, sed purgatur: sic per tentationem Judas instar glumæ ac pulveris fuit abjectus, sed reliqui Apostoli instar tritici manserunt; ad tentationem quidem à Christo defecerunt, sed per conversionem mox ad ipsum redierunt, adeoque nec fide nec Dei gratiâ, nec salute æternâ finaliter exciderunt. Quemadmodum sordes, inutalia grana & rejectamenta ex cribro delapsa in escam volucris & porcis cedunt: sic Judas in cribro tentationum à Diabolo agitatus totaliter & finaliter excidens in prædam cessit volucris & porcis infernalibus, Diabolis: sed reliqui Apostoli, in quibus Satan importunis suis postulationibus idem obrinere voluit, quod in Juda obtinuerat, in hoc cribro sunt conservati & ex illis panis mundus in conspectu Dei paratus. Quidam statuunt, Christum hoc loco non tantum agere de illis tentationibus, quibus Satan tempore passionis & mortis Christi Apostolos oppugnavit, sed etiam de illis, quibus post Christi in cælos ascensionem à persecutoribus Judæis & gentilibus impulsu Satana fuere divexati, sed contextus ostendit, Christum si non unice, tamen præcipue de priore tentationum genere loqui. Colligitur autem ex hoc loco. 1. Tentationes, persecutiones & omnis generis afflictiones esse instar cribri, in quo tum boni tum mali agitantur, sed eventu dissimili, boni enim constantes manent & servantur, mali verò excidunt. Qui in hac vita per cribrum Evangelicæ prædicationis, eidemq; semper conjunctæ crucis & afflictionis non patiuntur se purgari ac mundari, illi in extremo judicio inter paleas abjiciuntur in ignem infernalem Mat. 3. v. 12. ubi de Christo dicitur, *habet ventilabrum vel palam in manu sua, ac diaxa dapiæ perpurabit, id est, perfectè mundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* In hac vita paleæ manent tritico ex parte adhuc commixtæ, sed in die judicii sequetur plena & perfecta separatio. 2. Cribrum illud tentationum, persecutionum, afflictionum & c. rotatur ac circumagitur à Satana, qui hoc unum dies & noctes agit, ut homines variis tentationibus, persecutionibus & afflictionibus concussos atque agitados animâ & corpore perdat 1. Petr. 5. v. 8. Mederi debet hæc consideratio nostræ incogitantia, quâ tentationes inter dum parvi æstimamus, quæ nobis magis essent terrori, si cogitarem, esse *ignita tela hostis nequissimi* Ephes. 6. v. 16. proinde quoties tentatio ac scandalum nobis objicitur, in mentem nobis veniant hostis hujus nostri insidiæ. 3. Neque tamen suo præ arbitrio Satanas in hoc cribrum collocat & exagitat quoscunq; & quocunq; tempore velit, sed à Deo prius potestatem impetrare cogitur, ut apparet ex Jobi exemplo Job. 1. v. 12. c. 2. v. 6. August. lib. 11. de Genes. ad liter. c. 27. *Tentandi voluntatem Diabolus habet, in potestate autem, nec ut faci-*

at, habet, nec quomodo faciat, unde lib. 11. de civ. Dei c. 1. potestatem ejus vocat *egenam potestatem.* Beda in hunc loc. *Cum Satanas expetit eos tentare, & velut qui triticum purgat, ventilando concutere, docet nullius fidem à diabolo nisi Deo permittente tentari.* Satanae quippe ad cribrandum bonas expetere, est ad afflictionem eorum malitia astibus anbelare: Damasc. lib. 2. orth. fid. cap. 5. *Non habent Dæmones potestatem nec virtutem adversus aliquem, nisi à Deo concessatur.* Cum primis verò latè & eleganter hac de re disserit Terullianus lib. de fuga in persecut. c. 2. *Nihil Satana, (inquit) in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Jobi, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem & c. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulavit, non habens eam nisi ex permisso & c. Nec in porcorum greges diaboli legio habuit potestatem, nisi eam à Deo impetrasset, tantum abest, ut in oves Dei habeat. Possim dicere, porcorum quoq; setas tunc fuisse apud Deum numeratas; nedum capillos sanctorum. Habere videtur diabolus propriam jam potestatem, si forte in eos, qui ad Deum non pertinent, semel in stillam situla, & in pulverem areæ & in salivam Nationibus deputatis à Deo & per hoc diabolo expeditis in vacuum quodammodo possessionem. Ceterum in domesticos Dei nihil illi licet ex propria potestate & c. 4. Ut ergo hanc potestatem pios tentandi & cribrandi obtineat, accusat eos coram Deo die ac nocte Apocalyp. 12. v. 10. deponit eos ad pugnam & pœnam, urget suum jus, quod propter peccatum in totum genus humanum obtinet, hæc enim vis est verbi *ègare* ut superius ostendimus. 5. Impetrat à Deo tentandi potestate non vulgares solum, sed fortissimos quosque ad hanc palæstram vocat, sicut hoc loco Petrum primarium Apostolum præ reliquis acrius aggressus est, ac tentationis gravitate eum impulit, ut reliquis profundius laberetur, quæ est Euthymii in h. loc. observatio. A quo enim tentationes suas contineat, qui non solum Petrum, sed etiam ipsum Dominum majestatis Christum aggredi ausus est. Qui caput oppugnavit, num parceret membris. 6. Interim tamen hæc tentationes Satanae pii in bonum cedunt, purgantur per illas à fordibus peccatorum velut grana in cribro à paleis; per easdem etiam boni à malis separantur 1. Cor. 11. v. 19. inde Johannes 1. Epist. 5. v. 18. dicit, quod *ò πονηρός* verè credentes non tangat, id est, quod vires suas in illis tentandis ac dive-xandis quidem periclitetur, non tamen illos vincat, nec eis noceat vel prævaleat. 7. Quæ piorum in tentationibus perseverantia non tribuenda ipsorum viribus, sed divinæ gratiæ ac potentia, qua ad salutem conservantur Phil. 1. v. 6. 1. Pet. 1. v. 5. Suis viribus contra carnis illecebras & Satanae insidias (quæ humanorum lapsuum & apostasias causæ sunt) non possunt sese tueri, sed Dei virtus in ipsorum infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9. 8. Hanc Dei gratiam suo merito & intercessione impetrat ipsis Christus Jesus, inde jam sequitur.*

3. *Intercessionis promissio.* In præcedentibus ostendit Christus *imminens periculum,* nunc subjicit *malè remedium,* & periculo opponendū solatium. Ostendit hæc tamen, unde timere debeant, nunc subjicit, unde

unde sperare, Deoq; confidere debeant. *Satanas qui-
dem expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, sed ego rogavi
pro te, ne deficiat fides tua. Ego Dei Filius, constitu-
tus Mediator ac redemptor humani generis, con-
tritor serpentini capitis, rogavi pro te &c.* Satana postulationi opponit suam orationem; Satana con-
natibus suam protectionem; Satana ignitis telis
defensionis suæ scutum, eo ipso ostendens, plus
valere apud Deum suam orationem, quam Satana
postulationem, sicut statim de effectu intercessio-
nis suæ addit: *Tu autem conversus, Dei scilicet gratia
& intercessionis meæ valore ac merito, confirma fra-
tres tuos.* Ex verbo præteriti temporis *edesthu* colligit
Augustinus, Christum hæc verba post orationem
suam *ερωταγωνιστην* Joh. 17. descriptam protulisse,
quippe in qua non solum pro Petro & reliquis
Apostolis, sed etiam pro omnibus per verbum i-
psorum credituris efficacissime oravit. Sed in ra-
tione ordinis ostendimus, solennem illam orationem
postea demum fuisse secutam, cum Christus
Petro hæc prædixisset. Statuendum igitur, vel
quod verbum præteriti temporis usitatâ Scripturæ
phrasi pro paulo post futuro ponatur, orabo
pro te ac protegam eam partem tuam, quam diabolus
maximè impugnavit, Gen. 20. v. 3. Mat. 9. v. 24.
Joh. 17. v. 4. &c. vel quod Christus privatis & occultis
precibus pro dilectis suis Apostolis jamdum apud
Patrem cœlestem intercesserit, cum hæc ipsis
diceret. Quod enim pro Petro se orasse dicit, non
est accipiendum *exclusivè* quasi pro solo Petro inter-
cesserit, cum pro omnibus omninò Apostolis
in oratione *ερωταγωνιστην* rogaverit, Joh. 17. v. 9. cum
in proximè præcedentibus dixerit, Satanam non
solum Petrum, sed etiam reliquos Apostolos ad
cribrationem postulasse, cumq; paulo post jusse-
rit, ut Petrus conversus exemplo suo fratres, id est,
reliquos Apostolos & alios in peccatum prolapsos
& per pœnitentiam ad Deum iterum conversos
confirmet, sed quod *προαιτιω* & singulariter pro Petro
oraverit, quia ille acrius à diabolo erat impug-
nandus, ac gravius quam cæteri in dominum
peccaturus. Chrysof. hom. 83. in Mat. *Ego rogavi
pro te &c. hoc ut vehementius eum tangeret, dicebat, signifi-
cans ejus casum multò pejorem esse aliorum discipulorum
casus, ac ideo etiam majori eum patrocinio indigere Aug. in
l. 1. q. 5. & N. T. q. 75. Quid ambigitur? pro Petro ro-
gabat, & pro Jacobo & Johanne non rogabat, ut ceteros ta-
ceam? manifestum est, in Petro omnes contineri, rogans
enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur, semper e-
nim in præposito populus corripitur aut laudatur. Rogavit
autem pro Petro, ne deficiat fides ipsius. Non rogavit,
ne Petrus à Satana cribraretur ac tentaretur, id e-
nim paulo post ipsi permissum fuit, quando Chri-
stus captivus ductus & tandem in crucem actus, sed
ne in illa Satana cribratione fides ejus deficeret,
id est, ne aut profusus à Christo deficeret, & ex discipulo
hostis fieret, aut propter lapsum, quem commisit in
desperationem rueret, quorum utrumq; Satanam in
Juda obtinuerat. Quando igitur Christus Petro dicit,
Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, innuit
permissum iri Satana, ut Petrum æquè ac reliquos
Apostolos, imò magis quam reliquos cribraret, agitaret,
concutiat; sed quando subjicit, *ego autem rogavi pro te, ne
deficiat fides tua,* significat, cum certa quadam limitatione hoc*

Satana permissum iri videlicet ne fidem Petri &
reliquorum Apostolorum suâ cribratione penitus
excutiat ac finaliter extinguat, quemadmodum
diabolo permittebatur Jobum oppugnare, sed
cum certa limitatione Job. 1. v. 12. c. 2. v. 6. Satana
quidem impetrasse, ut cribratione suâ Petri
fidem concutiat, non tamen hoc impetrasse, quod
maximè expetebat, ut fidem ejus penitus sive finaliter
excutiat, se enim efficacissima suâ inter-
cessione hoc impediisse. Satan importunis suis
postulationibus impetravit, ut te sollicitet ad de-
fectionem, sed ego precibus meis obtinui, quò mi-
nus impetraverit, ut in defectione finaliter te de-
tineat. Impetravit Satan, ut te sollicitet ad mei
abnegationem, sed ego precibus meis obtinui, quò
minus impetraverit, ut in hac abnegatione æternum
pereas. Hæc consolatio Petro maximè opere
fuit necessaria, quâ se post lapsum iterum erigeret
& in fide confirmaretur. Cum enim reliquis gra-
vius lapsus fuerit, idè peculiari Christi interces-
sione & consolatione opus habuit, absq; qua si suis-
set, propter abnegationis peccatum in desperationem
prolapsus æquè ac Judas æternum periisset.
Abutuntur autem suavissimis hæc Christi verbis
tum Ariani, tum Calviniani, tum Pontificii. *Ariani*
ex illis argumentum formant ad Christi Deitatem
oppugnandam. *Si Christus (inquiunt) esset verus cum
Patre Deus, quorsum opus fuisset precibus à Patre Petri
conversionem impetrare?* Resp. Joh. 10. v. 28. dicitur
inquit: *Oves meæ non peribunt in æternum & non rapiet
eas quisquam de manu mea. v. 29. Pater meus, qui dedit
mibi, major omnibus est, & nemo potest eas rapere de manu
Patris mei. v. 30. ego & Pater unum sumus;* quibus ver-
bis docet, se esse unius cum Patre potentia & essentia;
se unâ & eadem cum Patre virtute Petrum &
omnes verè credentes conservare, quò minus ab
infernali luptu rapiantur & pereant, per manum
enim potentia & virtus intelligitur. Quod ergo
hoc loco pro Petro orat, non est tribuendum ipsius
infirmi-tatis, sed œconomia, quod ut unicuique à Patre
constitutus Mediator oret. Cumque sit Me-
diator & intercessor noster secundum utramque
naturam, idè notandum, quod in oratione coram
Patre se humiliet ut verus homo, quo respectu
est Patre minor, Joh. 14. v. 28. sed ut Dei Filius
oratione suâ addat robur ac pondus, atque orationem
dignam reddat, quæ exaudiatur, quo respectu
est Patri æqualis & unum cum Patre. Ignatius
Epistol. 10. ad Smyrnenf. *Deprecatus est Patrem,
ut non deficeret fides Apostolorum, non quòd non
sufficeret custodire eam, sed gaudens de Patris eminentia
ipsum deprecatus est pro eis.* Chrysof. homil. 83. in Mat.
*Cur non dixit, ego non dimisi, sed ego rogavi? humiliter
jam loquitur ad passionem iturus, ut humanitatem suam
demonstret, propter hanc causam & propter infirmitatem
discipulorum, qui nondum decentem omninò de ipso
existimationem habebant, ita locutus est.* Calviniani
ex his verbis colligunt, fidem renatorum nunquam
deficere, nec deficere posse, cum Petrus vi
hujus intercessionis in ipsa abnegatione fidem
non amiserit. Calvinus in comm. hujus loci:
*Ex hoc & aliis locis apparet, scintillas fidei
semper manere in electis, utcumque sepulte maneat
in ipsorum cordibus.* Bucerus in h. l. fidem electorum
confert Soli, qui nubibus quidem ad tempus tegitur,

non

non tamen extinguitur. Beza hom. 15. in pass. p. 365. Petrum ore quidem Dominum abnegasse, corde autem aliud sensisse asserit. Eglinus Disp. 2. de peccat. in S.S. th. 98. In Apostoli Petri corde, quamvis contra conscientiam Christum ejuravit, ex infirmitate ac metu fides non defecit prorsus, licet confessio in ore ad tempus titubavit. Eo etiam abeunt quidam ex Pontificiis. Salmeron in h. l. defecit caritas, defecit fides confessio, sed non fides in corde quia non negavit incredulitate, sed metu. Maldonatus in h. l. Negare se nosse Christum, non fuit ejus fidem defecere, sed tentari. Ore negavit, animo retinuit, quod accomodat illud Theophylacti in h. l. Rogavi dicit, ut non deficiat fides tua. Quamvis enim brevi tempore concutendus sis, sed habes recondita semina fidei, etiam si folia abjecerit Spiritus iradentis, radix tamen vivet & non deficiat fides tua. Resp. 1. aliud est loqui de electis, aliud de renatis, cum non omnes renati sint electi, sed in fide usque ad finem vite perseverantes; aliud de totali, aliud de finali fidei εὐπρωσία. Electorum fides deficere potest ac quandoque deficit totaliter, sed non finaliter, alias electi non essent, renatorum fides & totaliter & finaliter excidere potest, si scilicet in errores contra fundamentum vel peccata contra conscientiam prolabantur. 2. Discrimen est inter fidem Historicam & salvificam. Quamvis enim fides salvifica complectatur notitiam ac proinde etiam sit fides Historica, non tamen omnes fides Historica est etiam salvifica, siquidem fides salvifica præter notitiam & assensum complectitur etiam fiducialem Christi apprehensionem. Notitia & fides Historiæ manere potest in illis, qui contra conscientiam peccant, ac mansit etiam in Petro Christum abnegante, sed fides salvifica non manet in illis, nec in Petro tempore abnegationis mansit. 3. Quod ipsum immotis hisce argumentis probari potest. Qui Christum negat, iterum à Christo negabitur, Matth. 10. v. 33. Petrus negavit Christum. Ergo à Christo negatus fuisset, nisi verè iterum conversus fuisset. Qui Spiritum Christi non habet, ille non est ejus. Rom. 8. v. 9. Petrus negans Christum, non habuit Spiritum Christi. 2. Cor. 4. v. 13. Ergo non fuit Christi & per consequens tunc non habuit fidem salvificam. Vera fides & confessio sunt ἀδελφωτικὸς invicem conjuncta. Psal. 116. v. 10. 2. Cor. 4. v. 13. Petrus Christum non tantum non est confessus, sed insuper etiam negavit. Ergo tunc veram fidem non habuit. Vera fides Christum recipit. Joh. 1. v. 12. abnegatio Christum repudiat. Ergo vera fides non potuit cum abnegatione Christi in corde Petri simul consistere. Ubi conversione opus est, ibi aversio præcessit. Petrus conversione opus habuit teste Christo: Tu conversus confirma fratres tuos. Ergo. 4. Proinde quod Christus dicit, se pro Petro orasse, ne deficiat fides ipsius, id accipiendum de ἐκείνης & ἐκπρωσίας finali, à qua Petrus Christi præcibus fuit præservatus, ne in æternum periret, sed per pœnitentiam ad Deum conversus salvus fieret. Rogavi & impetravi, ne post abnegationem incidas in desperationem, sed ut resipiscas, peccati condonationem impetres & salutis æternæ particeps fias. 5. Eodem modo hunc locum exponunt pii veteres. Tertull. de fuga in persecut. cap. 2. Rogavi pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum diabolo per-

mitteretur, ut fides periclitaretur. Chrysostom. homil. 83. in Matth. Non dixit, ut non neget, sed ut non deficiat fides tua, ut non prorsus sive finaliter pereat, ὡς ἐμὴ ἀλέγει ἀποδείξου. Cur à enim ipsius atque favore factum est, ne Petri fides omninò evanesceret. Ambros. serm. 47. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deservit, quæ verba citantur in jure Canonico c. Fidelior distinct. 50. August. tract. 66. in Johan. Timendo mortem carnis tue, mortem dabis anime tue. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum &c. Qui negat hominem Christum, non reconciliatur per Mediatorem Deo, unus enim Deus & unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Qui negat hominem Christum, non justificatur, quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti multi sunt, ita & per obedienciam unius hominis justii constituentur multi. Qui negat hominem Christum, non resurget in resurrectionem vita, quia per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Prosper in Epist. ad Ruffin. Quod Dominum negaturus, quid hoc aliud quam quod à fide defecetur sit? Lyran. in hunc locum: Ne deficiat fides tua scilicet finaliter, non enim rogavit, quod (ut) Petrus non caderet, sed ut in casu non remaneret, unde sequitur, & tu conversus scilicet de peccato ad gratiam. 6. Idem agnoscunt quidam ex ipsis adverbis. Ex Calvinianis Danæus in h. l. pag. 248. expressè scribit. Petrum per abnegationem Christi veram fidem penitus (ad tempus) amisisse. Witakerus in concione ultima subjuncta tom. 1. pag. 696. Petrus post gratiam lapsus est, ejusque gravissimus & periculosissimus lapsus fuit. Nullum peccatum magis cum fide pugnat, quam Christum abnegare, qui materia, scopus, objectum fidei est, Petrus abnegavit & abjuravit semel, iterum, tertio. Exaggera Davidis adulterium & homicidium, quantum libuerit, quod sanè sædissimum & omni reprehensione pœnaque dignissimum fuisse fateor. sed Petri perjurium & blasphemiam & apostasia omnes majoris culpe causas & circumstantias habet. lib. de Pontif. Roman. controv. 4. q. 6. c. 2. Vera fides tam non potest separari à confessione oris, quam ignis ab ardore aut Sol à splendore ac radiis suis. At Petrus etiam negavit, quod gravius est quam non confiteri. Ex Pontificiis Stapulensis in h. l. sic scribit: Ille non deficeret fides tua, id est, ut non remaneres in incredulitate, & tu conversus scilicet ab infidelitate &c. Defecit fides in Petro & quidem turpius quam in ceteris. Diredo lib. 4. de Eccles. dogmat. & Script. cap. 3. part. 3. scribit, Petri fidem non minus defecisse quam reliquorum Apostolorum. Janfenius in c. 133. Harmon. postquam dixisset, etsi ore Petrus Christum negavit, fidem tamen semper in corde servavit, per ἐκπρωσίας & subjungit, aut si ad tempus etiam fidem perdidit, non tamen ea defecit, quia mox eam recepit. At, inquit Perrerius in h. l. si fides Petri ad tempus defecisset, Christus nihil singulariter Petro impetrasset, quia nullius Apostoli, qui tunc aderat, fides defecit. Resp. Christus ideo singulariter pro Petro oravit, quia reliquis omnibus gravius peccaturus erat, videlicet cum attestacione divini nominis & execratione sui ipsius Dominum negaturus, in hac peculiari pro Petro facta intercessione impetravit, quod petiit, videlicet ne finaliter ipsius fides deficeret, cujus deficientiæ majus periculum ipsi impendebat quam reliquis Apostolis, quia gravius ipsis erat peccaturus. Quod autem Christus Petro impetrare voluerit,

Iuerit, ut in ipsa abnegatione non tantum fidem Historicam, sed etiam salvificam retineret, ejus rei nullum in Scripturis extat vestigiū, & includit hoc contradictionem quandam, statuere, quod is, qui Christum abnegat, nihilo tamen minus salvificam Christi fidem retineat. Pontificii ex his verbis colligunt 1. Monarchicum primatum Petri. Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. c. 20. *Christus pro Petro singulariter orans clarissime ostendit, Petrum fore Principem & caput fratrum.* Jansenius d. l. *Dominus dum singulariter Petro loquitur ac pro illo se peculiariter rogasse dicit &c. satis indicat, hunc futurum reliquorum caput.* Brug. in h. l. *Insinuat, Petrum à se constitutum loco & ordine primum pro parte regni sui in hoc seculo fluctuante.* Resp. Christus non solum pro Petro, sed etiam pro reliquis Apostolis, imò pro omnibus per verbum ipsorum credituris oravit. Ergò ex Christi oratione pro Petro non potest Monarchicus ejus primatus deduci. Quod singulariter & præcipue pro Petro oravit, non arguit Monarchicam ejus eminentiam, sed gravius periculum & graviolem lapsum. Si ex speciali pro Petro intercessione aliquis primatus Petri deduci posset, is non foret primatus Monarchicæ potestatis, quippe quem Christus paulò ante in genere omnibus Apostolis ac proinde etiam Petro derogaverat, sed tantum primatus honoris & dignitatis. 2. *Infallibilitatem Pontificis Romani.* Bellarm. lib. 4. de Pontif. c. 3. *Dominus his verbis duo privilegia impetravit Petro. Unum, ut ipse nunquam possit veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à diabolo. Alterum, ut ipse tanquam Pontifex non posset nunquam docere aliquid contra fidem, sive ut in sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra fidem, ex quibus privilegii primum fortasse non manavit ad posteros, secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores, quod probat ex testimoniis septem Pontificum Lucii I. Felicis I. Leonis, Agathonis, Nicolai I. Leonis IX. Innocentii III. &c. Maldonatus in h. l. Christus loquitur etiam de illis tentationibus, quas successores Petri subituri erant, ut sit idem cum promissione. Ego vobiscum sum usq. ad consummationem seculi. Tandem enim Christus orat, ne Petri fides deficiat, quamdiu Satanas eam oppugnat. Jam verò semper oppugnat fidem. Franc. Luc. Brugen. sis in h. l. Ut non deficiat fides, quâ credis in me, Christum Filium Dei vivi, Doctorem veritatis in universa quâ à me profecta sit doctrina. Tu credis & credent successores tui in hoc munere regenda Ecclesia omnes. Hac Christi oratio prohibuit, quò minus successores Petri aliquid credendum proponerent, quod Christiana fidei foret contrarium. Resp. 1. non consentiunt Pontificii in explicatione & applicatione hujus loci, fatente ipsomet Bellarmino, qui dicto loco sic scribit: *Hic locus tribus modis exponi solet. Prima expositio est quorundam Parisiensium (Gersonis, Almain, ut & Alphonfi de Castro, Adriani VI. Papæ, quibus addendi sunt Patres Concilii Basiliensis in tertia Epist. Synodica) quod Dominus hic oraverit pro Ecclesia universali, sive pro Petro, ut totius Ecclesia figuram gerebat & hoc impetrasse, ut fides Catholica Ecclesia nunquam deficiat. Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent, Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. Tertia expositio, quod Dominus duo privilegia Petro impetraverat superius enumerata, quam solam esse veram & acceptandam, Bellarmin. statuit.**

2. Prima expositio longè tolerabilior, quàm tertia, si omnino velimus hoc personale Petri privilegium ad alios extendere. Ut enim Christus Ecclesiæ claves Petro tradiderat, quatenus totius Ecclesiæ personam gerebat, ut promiserat, se eo modo super fidem & confessionem Petri ædificaturum Ecclesiam, ut nec ipsæ inferorum portæ adversus eam prævalitura sint, ita quoque hoc in loco se oraturum promittit, ut non deficiat fides Petri, id est, ut fides illa, quâ Petrus Dei Filium confessus erat, non deficiat unquam in toto terrarum orbe, quia quamdiu mundus durabit, semper erunt aliqui, qui hanc fidem amplectantur, profiteantur, & ipsam mortem pro ea subire non reformident. Quæ huic expositioni Bellarminus opponit, illa probant, Christum hic peculiariter de Petro, non autem de tota Ecclesia loqui, quod facile concedimus, imò contra Bellarminum urgemus, interim quatenus Petrus in Christum credens totius Ecclesiæ personam gessit, eatenus hæc promissio de fide non defectura ad totam Ecclesiam accommodari potest. 3. Altera expositio est literalis, genuina & propria, quod Christus in petra veritatis Petro, ne fides ipsius finaliter deficeret. Huic expositioni Bellarmin. opponit primò, quod paulò post oraverit Dominus pro perseverantia omnium Apostolorum, imò omnium electorum, Joh. 17. v. 9. non erat igitur ratio, cur bis pro perseverantia Petri oraret. Resp. invertitur argumentum: Christus oravit pro omnibus electis, & tamen aliqui electorum in fidei & morum controversiis dijudicandis erant. Ergò ex Christi intercessione non potest infallibilitas in fide deduci. Quæ verò est absurditas, Christum non semel tantum, sed etiam bis pro Petri perseverantia orasse? est adhuc hodie ad dextram Dei & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. 1. Joh. 2. v. 1. non semel tantum, sed pluribus vicibus. Nimirum prævidebat Petrum longè gravius reliquis lapsum, idè etiam ardentissimè pro ipso oravit, non in genere tantum, sed etiam in specie. Secundò, Dominus hic sine dubio aliquid speciale Petro impetravit, ut apparet ex designatione certæ persone, perseverantia autem in gratia est donum commune omnium electorum. Resp. conversio à tam gravi peccato abnegationis & abjurationis aliquoties repetito fuit omnino peculiare aliquod beneficium, quod speciali suâ intercessione Christus Petro impetravit. Tertio, certum est, Dominum saltem mediâtè orasse hoc loco etiam pro alijs Apostolis. Nam idè præmisit tanquam orationis causam: *Satan expetivit, ut cribraret vos, & postea sub junxit tanquam effectum: Confirma fratres tuos. Non igitur pro solâ Petri perseverantia Dominus rogavit, sed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum utilitatem.* Resp. quia pro omnibus Apostolis rogavit, dixit, *Satan expetivit vos;* quia in specie pro Petro rogavit, idè dixit, *rogavi pro te.* Donum in aliorum utilitatem Petro communicatum, fuit conversio ex tam gravi lapsu, quæ peculiaris bonitatis divinæ argumentum fuit, quo reliqui minus graviter lapsi & ad Deum conversi, fuerunt in fide sua non mediocriter confirmati. Quarto, donum hoc loco Petro impetratum etiam ad successores pertinet. Nam Christus oravit pro Petro in utilitatem Ecclesiæ, Ecclesia autem semper indiget aliquo, à quo confir-

confirmetur, cuius fides deficere non possit. Nec enim diabolus petit cribrare tantum eos, qui tunc erant fideles, sed omnes omnino. At certè perseverantia donum non pertinet ad omnes Petri successores. Resp. Si donum perseverantia non pertinet ad Petri successores, ergò nec donum infallibilitatis. Ratio consequentia est, quia ut paulò post Bellarm. scribit, donum infallibilitatis, quod non possit aliquis unquam veram fidem amittere, est aliquid amplius quam donum perseverantia. Cui verò non competit minus, illi nec majus competit. Quòd Christus pro Petro oraverit in Ecclesia utilitatem, ex eo inferri nequit, Petri in sede Romana successores ob hanc Christi intercessionem habere privilegium infallibilitatis. Necdum enim probatum, solos Episcopos Romanos & quidem omnes quocumq; modo se habentes esse Petri in Monarchia Ecclesiastica successores, à quibus tota Ecclesia unice dependere debeat, ne in fidei errorem incidat. Fatetur ipse Bellarminus lib. 2. de Pontif. Rom. c. 12. fortè non esse de jure divino, Romanorum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, succedere Petro in praesentia totius Ecclesiae. Quintò, Deniq; non dixit Dominus, rogavi ut non deficiat caritas tua, sed fides tua, & reipsa scimus defecisse Petri caritatem & gratiam, quando negavit Dominum, fidem autem unquam defecisse non scimus. Resp. per fidem aut intelligitur fides salvifica, aut Historica. Salvificam fidem in abnegatione Petrum amisisse, superius ostendimus, nec potest hoc negare Bellarminus, cum concedat, Petrum amisisse caritatem & gratiam. Jam verò caritas ex ipsius hypothese est fidei salvificae forma, at num potest formatum remota & abolita forma existere, num amissa gratia fides salvifica adhuc potest locum habere? Historicam fidem quod attinet, ad eam pertinent notitia & assensus. Notitiam Historiae de Christo in abnegatione sua Petrus retinere potuit, sed assensus non potuit simul cum abnegatione subsistere. Sic ergò progredimur. Si Christus hac intercessione sua Petro impetrasset ac impetrare voluisset absolutam in fide infallibilitatem, consequens fuerit, Petrum post has Christi preces in fide nunquam errasse. Sed posterius hoc dici nequit, quia post has Christi preces tribus vicibus ipsum negavit, & quidem cum attestatione divini Numinis & sui ipsius execratione, utique ergò in fide erravit, & quidem gravissimè. Non noverat Scripturam de Christi resurrectione Joh. 20. v. 9. ergò non habuit illis vaticiniis Prophetici fidem & per consequens in fide erravit. Marc. 16. v. 14. Christus exprobravit Apostolis ac proinde etiam Petro incredulitatem, quod non crediderant Angelorum & mulierum de resurrectione sua testimonio. Luc. 24. v. 11. utique ergò etiam Petrus in fide lapsus est. Idem Petrus in die ascensionis una cum reliquis Apostolis quarit, Domine, num hoc tempore restitues regnum Israel? Actor. 1. v. 6. ubi fovet adhuc praconceptam opinionem de terreno Christi regno, qui fuit error in fide, unde Christus Petro aequè ac reliquis Apostolis promittit Spiritum Sanctum, qui post suam in caelos ascensionem eos ducturus sit in omnem veritatem. Joh. 16. v. 13. 4. Tertia expositio non solum destituitur Scripturae & antiquissimorum Patrum suffragio, sed etiam multis laborat incommodis. Prius patet ex tacita ipsius Bellarmini confessione. Neque enim parallelis Scripturae locis

Harrn. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia,

eam suffulcit, nec ex textus circumstantiis eam confirmat, sed statim confugit ad testimonia septem Pontificum. At hi sunt testes in propria causa. Cyprianus Epist. 69. Dominus ipse dicit, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, eò quod unusquisq; utiq; sibi faveat. Adde, quod pleraq; illa testimonia ex decretalibus Epistolis Pontificum sint petita, de quibus quid statuendum sit, alibi latè exponitur. Adjicit quidè dicta Theophylacti & Chrysologi, sed illi non dicunt, quod eos dicere optat Bellarminus, videlicet omnibus & solis Petri in sede Romana successoribus privilegium infallibilitatis hic esse datum. Bernhardus Epist. 190. ad Innoc. eò videtur inclinare, sed unius testimonium in hac Christiane rei summa (ut in praefat. lib. 1. de Pont. Rom. articulum de primatu & infallibilitate Papae vocat) non est sufficiens. Vixit Bernhardus seculis posterioribus, ac si ipsius iudicio standum, à politico dominatu Pontificis penitus erit abstinendum. 5. Possunt huic expositioni evidèntia opponi argumenta: Nam primò Dominus unam tantum personam designavit, dicens: Simon, Simon, & addens toties pronomen secundae personae, pro te, fides tua, & tu fratres tuos, ac ceperat loqui in plurali, Satanas expetivit vos, deinde mox mutavit formam loquendi, & ait, ego autem rogavi pro te (quae omnia sunt verba Bellarmin. in hoc ipso capite) unde igitur certi esse possumus, Christum hic non tantum de Petro, sed etiam de Petri successoribus numero pluribus loqui? Secundo Petrus Christum abnegans & abjurans in fide gravissimè erravit, ergò non fuit in fide infallibilis, ac per consequens non possunt verba Christi accipi de dono infallibilitatis, sed de dono perseverantiae. Quòd autem Christus Petro non impetravit, nec impetrare voluit, illud multo minus successoribus Petri impetrasse dicendus est. Tertio ex Scripturis certò & apodicticè probari nequit, Pontifices Romanos & quidem solos Petro succedere, quod quidam ex ipsis Pontificis concedunt. Ergò non potest ex hoc loco certò & apodicticè probari, donum infallibilitatis Romanis Pontificibus esse à Christo impetratum. Quarto si vel maximè ex hypothese concedatur, Pontifices Romanos esse Petri successores, non tamen posset ex eo inferri, ipsos frui dono infallibilitatis. Aaroni in sede sacerdotali, Davidi in sede regia successerunt, qui in fide gravissimè errarunt. Quintò si Christus hic orasset, ne Pontifices Romani unquam in fide errarent, non fuisset exauditus, nec impetrasset, quod petisset. Consequens est non solum absurdum, sed etiam impium & blasphemum Johan. 11. v. 42. Hebr. 5. v. 7. Consequentia probatur, quia teste Lyrano in c. 16. Mat. & ipsa Historià inventi sunt multi Pontifices apostatasse à fide, ubi probè nontandum, quod Bellarminus in cap. proximè praecedente scribit, sententiam illam, quae statuit Pontificem etiam ut Pontificem posse esse haereticum & docere haeresin, si absq; generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse, non esse proprie haereticam, cum adhuc ab Ecclesia tolerentur, qui illam sequuntur. At si Christus hoc loco infallibilitas donum Romanis Pontificibus impetrasset, certè haereticum foret, istud negare & expressis Christi verbis contradicere. Sextò Christus hic loquitur de fide justificante & salvifica, non de fide doctrinae, quam qui habent, perire tamen possunt. Praemittit enim, Satanas expetivit vos, ut

K k k k k

cribra-

cribraret tanquam triticum, id est, ut fidem vestram concuteret & penitus excuteret, ut non amplius in frumento dominico locum haberetis, sed aeterno exitio vobis pereundum esset, at hæc fuit fides justificans & salvifica, quam Satanæ oppugnavit, & quâ amissâ de salute actum est. Subjungit, *tu autem conversus, confirma fratres tuos*, id est, cum post conversionem in gratiam iterum fueris receptus, exemplo tuo solare & erige infirmos in fide, utique ergo non de fide doctrinæ, sed de fide justificante & salvifica in his verbis agit. Proinde non potest infallibilitas in fide doctrinæ Pontificibus Romanis ex hoc loco vendicari. Septimò, si Christus hac sua intercessione successoribus Petri donum infallibilitatis impetravit, utiq; etiam reliquorum Apostolorum successoribus illud donum impetravit. Connexio est manifesta, quia Christus non solum pro Petro, sed etiam pro omnibus Apostolis oravit, Joh. 17. v. 9. cum omnes à Satana ad cribrationem fuerint postulati. Consequens non concedunt Pontificii, cum solius Petri in sede Romana successoribus hoc privilegium tribuant, adeoque etiam ipsius Petri in sede Antiochena successoribus illud derogent. Colligitur autem ex his verbis 1. Satanæ postulationi, quâ ad tentationes nos deposcit, oppositam esse Christi orationem, quâ pro nobis petit, ne in tentationibus & cribro Satanæ fides nostra finaliter deficiat. Tertull. de fuga in persecut. c. 2. *Utrumq; apud Deum est & concussio fidei & protectio, cum utrumq; ab eo petitur, concussio à diabolo, protectio à Filio. Quod si ergo Satana postulat nos terret, Christi oratio nos iterum soletur atq; erigat.* 2. Hæc intercessio Christi non solum pro Petro, sed etiam pro reliquis Apostolis, imò pro omnibus per verbum ipsorum credituris facta. Joh. 17. v. 20. ostendit, Christum esse unicum nostrum Mediatorem & Intercessorem, Rom. 8. v. 34. 1. Joh. 2. v. 1. cui soli acceptum ferendum, quod in fide *ad huc stamus*. Rom. 5. v. 1. Caro nostra est infirma, diabolus fortis, sed fortior est Christus pro nobis interpellans & virtute suâ nos muniens. Nobis quidem Satanæ suis insidiis, viribus, astutiâ, infelto studio &c. longè prævalet, sed habemus Duce[m] pro nobis pugnantem & Pontificem pro nobis interpellantem longè fortio[re]m. Luc. 11. v. 22. quam potentiam & sollicitudinem pro Ecclesia hæc suæ intercessionis promissione Christus commendat. 3. Conjuncta est hæc Sacerdotalis Christi intercessio cum ineffabili *Φιλανθρωπία*, imò ex ea originem trahit. Ut enim Christus propter futuram abnegationem Petrum hoc loco non abjicit, sed pro ipso potius orat, ne fides ejus penitus deficiat: ita quoq; propter infirmitates adhaerentes nos non abjiciet, modò exemplo Petri convertamur & ipsius intercessioni verâ fide innitamus. Hæc Christi *Φιλανθρωπία* non solum ad fidei confirmationem, sed etiam ad imitationem in tractandis infirmis nobis proponitur. Rom. 14. v. 1. Gal. 6. v. 1. 4. Christi pro nobis intercessio ideò est efficax, quia Christus virtute meriti & satisfactionis pro peccatis nostris præstitæ intercedit, 1. Joh. 2. v. 2. Et quia pro Petro & reliquis Apostolis efficaciter oravit, antequam passionem & mortem subiret, ex eo apparet, quòd passio Christi profuerit, antequam fuerit, quo respectu *agnus dicitur occisus ab origine mundi*. Ap. 13. v. 8. 5. Quamvis Christi

flus intercessione sua plurima & maxima beneficia credentibus impetret, tamen cum fides caput sit bonorum omnium, cumq; Satanæ in cribratione sua fidem potissimum concutere & excutere laboret, ideò etiam Christus præcipue hoc orat & impetrat, ne fides nostra deficiat. 1. Petr. 1. v. 5. *Virtute Dei custodimini ad salutem per fidem.* 6. Hæc Christi intercessio ita confirmet nostram fidem, ut tamen eâ non abutamur ad carnalem securitatem, neve in oratione desides ac remissi reddamur, multò minus scientes ac volentes in peccata ruamus. Quòd si enim Christus pro nobis oravit, quantum magis nobis orare convenit, ut virtute hujus intercessionis conservemur, ne in tentationibus succumbamus. Qui hoc loco ad Petrum dicit, *rogavi pro te, ne deficiat fides tua*, ille paulo post ad Petrum & omnes Apostolos dicit: *Orate, ne intretis in tentationem.* Ergo vult, ut preces suas conjungant, ac probè notandum, quòd magnum sit discrimen inter peccatum Judæ ac lapsum Petri & reliquorum Apostolorum. Judas ex destinata malitia peccavit, nec ullis Christi admonitionibus à proposito se revocari passus est. Petrus & reliqui Apostoli peccarunt ex infirmitate, ex metu periculorum, ideò in Petro & reliquis Apostolis Christi oratio fuit efficax, sed Judas ut fructu passionis, ita quoque generalis orationis Christi se indignum malitiâ suâ voluntariâ reddidit. 7. Quinimo ex hac ipsa Christi intercessione colligaliquid potest, quòd filialem Dei timorem peccatis repugnantem in nobis accendat, augeat ac foveat, de quo Chrysostomus homil. 83. in Marth. sic disserit. *Magnum dogma hinc discimus, quòd videlicet nullo modo hominis voluntas sufficiat, nisi auxilio superiori roboretur, quòq; nihil lucrari poterimus à superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnat, quorum alterum Petrus, alterum Judas confirmat. Hic enim est præsidium Christi largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nec quæ ab ipso erant, conferre, nullam inde utilitatem consecutus est. Ille verò, est bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio stare non potuit, ex his enim duobus virtus conexitur. Quamobrem vehementer rogo atq; obsecro, ne velitis cuncta ita Deo attribueret, ut oscitandum dormiendumq; vobis putetis, nec rursus si vigilatis, laboribus vestris totam rem effici arbitramini, &c.* Similia occurrunt apud Theophyl. in h. l. quæ omnia de renatis, novis per S. S. donatis viribus ad resistendum tentationi instructis, sunt accipienda. 8. Potest etiam ex intercessione Christi pro Petro, ne ipsius fides deficeret, necessaria evidenter colligi, perseverantiam esse Dei donum, quòd per & propter Christum credentibus in ipsum & ex fide petentibus datur. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. c. 28. *Si defectura erat fides tanti Apostoli, nisi pro eo Christus oraret, inerat ei procul dubio mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare, & non ita jam perseverantia fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius.*

4. Confirmationis jussu. *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Deducitur hoc præceptum confirmandi fratres ex præcedente intercessionis promissione. *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu, hoc est, igitur tu aliquando conversus confirma fratres,* in qua significatione particula *et* sapius usurpat. Psal. 18. v. 47. 1. Cor. 6. v. 2. Gal. 4. v. 7. Hebr. 3. v. 19. &c. Syrus duo præcepta in his verbis contineri statuit. Sic enim vertit. *Et etiam tu*

in rem-

in tempore *ἐπιστρέψαι* convertere & confirma fratres tuos. Sed in Græco est *ὅτι πότε ἐπιστρέψαι*, proinde potius est repetitio & explicatio præcedentis promissionis. Quia pro te rogavi, ne deficiat fides tua, ideo etiam non perseverabis in peccato, sed ex eo per veram conversionem eluctaberis. Quando ergo per Dei gratiam virtute hujusmeæ intercessionis à peccato abnegationis per veram pœnitentiam fueris conversus, tunc confirma fratres tuos. Per fratres Petri intelliguntur præcipue quidem Apostoli reliqui, non tamen soli, sed in genere omnes fideles tentationibus Satanæ, mundi & carnis exagitati, persecutionibus Tyrannorum oppugnati, cum primis verò ii, qui itidem Satanæ insidius & carnis suæ illecebris supplantati in peccata inciderunt, illos debet Petrus confirmare, id est, non solum verbis, sed etiam exemplo suo solari, quod non sint propter lapsus suos à Deo abijciendi, modo veram pœnitentiam agant, inde Theophyl. in h.l. verba Christi sic exponit, *ὅτι μετανοήσας καὶ δακρυώσας καὶ δόξα τῆς ἀρῆς σου θυγῶν γίνε καὶ τοῖς ἀλλοῖς πιστοῖς τῶν ἁγίων τῶ μετανοῦν καὶ μὴ δακρυώσασθαι.* Tu pœnitentiam agens lachrymasq; fundens & abnegationem vitans, fias etiam aliis fidelibus typus, ut convertantur, ne desperent. Quando ergo Christus Petro præcipit, ut conversus à suo lapsu confirmet fratres suos, tum ab ipso requirit 1. Ne propter lapsum suum abijciat Apostolatam, ad quem solenniter erat vocatus, sed quanto gravius labatur, tanto fidelius sectetur suam vocationem. 2. Ut exemplo suo lapsos revocet ad pœnitentiam, ne in peccatis suis perpetuò hareant, sed qui secuti sunt ipsum peccantem, sequantur etiam pœnitentem. 3. Ut post lapsum agentes pœnitentiam suo exemplo confirmet, ne desperent, sed considerantes Petrum post tam gravem lapsum in gratiam iterum receptum esse, imò ad Apostolicam dignitatis fastigium iterum eventum, credant etiam sibi peccata remissum iri. 4. Ut moderatè & benignè tractet infirmos in fide & in peccatum lapsos, recordatus quàm paternè & benignè ipsemet à Christo in lapsu suo fuerit tractatus, quàm promtè in gratiam iterum receptus. Cum Christus Matth. 18. v. 12. & seqq. de immensa Dei misericordia quærentis nos, ut perditas oves, concionaretur, eandemq; in exemplum nobis propositam esse doceret, quo permoti etiam nos peccanti proximo benignè condonare debeamus, accedens Petrus quærit: *Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei?* q. d. posset quis hac doctrina abuti, ideo certus constituendus est numerus, quoties sit remittendum ac certi definiendi sunt litimes, quousque in fraterna condodatione sit progrediendum. Quia ergo Petrus eo modo affectus erat, ideo permittit Deus, ut propter antegressam præfumptionem & propriarum virium fiduciam in gravem lapsum incideret, ut hac ratione humilius de se sentire & proximum peccantem benignius tractare disceret, memor benignitatis à Christo lapsu suo sibi priffita. Beda in h.l. *Sicut ipse tuam, inquit, fidem ne Satanà tentante deficiat, orando protegi, ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tue pœnitentis, ne de venia fortè desperent, erigere & confortare memento, quod idem & post resurrectionem exhortatur, cum ei tertio sese amare profiterent &c. tertio nihilominus pascendas suas oves commendat.* Verbum *ἐπιστρέψαι* quidam Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia,

ex Pontificiis admodum dilutè ac tenuiter explicant, quod Petrus ad fratres confirmandos se convertere eosque despiciere debeat, in qua significatione verbum *ἐπιστρέψαι* usurpatur Matth. 9. vers. 22. Marc. 8. vers. 33. Johan. 21. vers. 20. &c. Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 3. *Non est absurdum, si dicamus, illud conversus non referri ad pœnitentiam Petri, sed ad tentationes aliorum, ut non sit sensus. Tu à peccato ad pœnitentiam conversus confirma fratres, sed tu, cujus fides non potest deficere, quando videris aliquos nutantes & vacillantes, ad eos conversus illos confirma.* Nam nondum prædixerat Petro casum suum, sed paulò post prædicturus erat, videtur autem absurdum, si prius prædicatur conversio, quàm aversio; resurrectio, quàm casus. Maldonatus in h.l. *Conversus juxta Hebraismum significat repetitionem, ut apud Latinos dictiones rursus & iterum.* Pl. 85. v. 7. *Deus tu conversus vivificabis nos iterum; ita quod, hoc loco tu conversus confirma fratres, id est, sicut ego te confirmavi, ita tu iterum confirma fratres tuos.* Quo sine hac expositione proferant, facile apparet, videlicet ne concedere cogantur, Petrum conversione opus habuisse, ac per consequens fidem in negatione amississe, cum conversio aversionem præsupponat. Sed respondeamus 1. Nullus veterum eò modo vocem *ἐπιστρέψαι* exponit, sed omnes de conversione à peccato eam accipiunt, ut apparet ex Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio in h.l. Ambrosio in Psal. 43. & aliis omnibus. Maldonatus Bedam pro hac expositione adducit, sed ex verbis ejus modò citatis illud non potest colligi. 2. Absurda & nugatoria est illa expositio adversariorum. Si enim Christus hoc dicere voluisset, tum satis fuisset sic loqui, *confirma fratres*, quia qui alios confirmat, eum necesse est ad illos venire & converti, quos confirmare cupit. 3. Christus non simpliciter dicit, *ὅτι ἐπιστρέψαι σῆμα ἔσται*, sed *ὅτι πότε ἐπιστρέψαι* aliquando conversus, prædicat ergò ipsum in peccatum & quidem reliquis gravius lapsurum. 4. Nostra expositio de conversione à peccatis per veram pœnitentiam non solum conformis est aliis Scripturæ locis, Matth. 13. vers. 15. Marc. 4. vers. 12. Luc. 1. vers. 16. & 17. Johan. 12. vers. 40. Actor. 3. vers. 19. c. 9. vers. 35. & alibi passim, sed etiam textus circumstantiis, prædixerat Christus Satanam experuisse omnes Apostolos, ac proinde etiam Petrum, imò cum primis Petrum, *ut cribraret eos*, mox etiam Petro prædicat, quod ante gallicinium eà ipsà nocte sit ter ipsum abnegaturus, utique ergo conversione Petro opus fuit. 5. Ex quo etiam apparet, falsum esse, quod Christus nondum mentionem fecerit aversionis, cum hæc verba proferret, siquidem prædictio de postulatione illa Satanæ ad cribrandos Apostolos prædictionem lapsus in se continebat. 6. Bellarminus ipse non multum tribuit expositioni a se excogitatæ, quia statim subjicit. *Si exponamus conversus à negatione, non necessario convenit successoribus Petri converti à peccato negandi, cum necessario tamen eis conveniat, confirma fratres.* Est verò insuper aliud, quod ex his Christi verbis præter ipsius mentem elicere laborant, videlicet Monarchicum Petri & successorum ejus Pontificum Romanorum primatum, eorundemque in fide infallibilitatem. Bellarm. lib. 1. de Pont. Rom. cap. 20. *Christus his verbis, tu conversus confirma fratres tuos, clarissime*

ostendit Petrum fore principem & caput fratrum suorum. Rationem exponit lib. 4. de Pont. cap. 3. Confirmare fratres convenit homini, ut caput est & princeps aliorum, ideo transit ad successores. Et paulo antè. Ecclesia semper indiget aliquo, à quo confirmetur, cujus fides deficere non possit. Salmeron. in hunc locum. Vox hæc, confirma fratres tuos, est vox Christi instituentis officium vel Magistratum confirmandi fratres in fide &c. Confirmandi munus spectat ad eum, qui majoris munere fungitur. Ergo Petro hic primatus datur. Confirmatio est tantum superioris, ad quem spectat inferiorum judicium firmare vel infirmare sententias. Maldonatus in hunc locum: Confirmandi alios necessitas perpetua erat futura, ideo in persona Petri omnes Petri successores jubet fratres in fide firmare, quomodo autem firmare possunt, si errare possunt? Lucas Brugens. in hunc locum: Rogavi singulariter pro te, per quem constitutum à me caput cæterorum Apostolorum, omniumq; in me credentium decrevi reliquos ad salutem adducere &c. Hoc idem vult dictum successoribus Petri, ut cito conversi à peccatis, si in qua sorte incidere, confirmet ceteros Christianos in fide ac penitentia, inquam sententiam adducunt dicta Leonis serm. 3. in die assumpt. Apostol. & Theophyl. in c. 22. Luc. Resp. 1. Si converti à peccato non convenit Petro, nisi quatenus fuit persona privata, ac proinde fuit donum personale, utiq; ergo Christus personam privatam hic alloquitur, ac per consequens nihil in his verbis continetur, quod ad Petri successores Pontifices Romanos pertinet. Prius totidem verbis scribit Bellarminus d. l. Ergo agnoscat etiam posterius. 2. Nec congruit cum Bellarmino Brugens, ut mutua collatio ostendit. Bellarminus sic disserit: Non necessario convenit successoribus Petri converti à peccato negandi, cum necessario tamen eis conveniat confirmare fratres. Brugens contra sic progreditur. Hoc idem vult Christus dictum successoribus Petri, ut cito conversi à peccatis, si in qua sorte incidere, confirmet ceteros Christianos. 3. Confirmandi officium non arguit, nec præsupponit primatum Monarchicum. Quivis pius, qui aliis in fide robustior est ac firmior, debet fratres suos in fide confirmare. 1. Thess. 3. v. 2. dicit Apostolus, remississe Timotheum ad Thesalonicenses eis τὸ εὐαγγέλιον ad eos confirmandos. At num propterea primatus Monarchicus Timotheo fuerit tribuendus? Paulus Rom. 1. v. 11. scribit, desidero vos videre, ut aliquid vobis impertiar gratia spiritualis eis τὸ εὐαγγέλιον. At si hoc nomine Paulo tribuitur primatus in Ecclesia Romana, non poterit is Petro tribui cum unus tantum sit Ecclesiæ Princeps, unum caput visibile &c. Act. 15. v. ult. de Paulo dicitur διερχετο τὴν Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἐπισημαίνων τὰς ἐκκλησίας. At num propterea Paulus fuit totius Ecclesiæ Princeps? Jac. 5. v. 18. omnes omnino fideles jubentur σημεῖαι τὰς καρδίας, id quod 1. Thess. 5. v. 11. sic exponitur, διὸ τὸ εὐαγγέλιον ἀλλήλους καὶ ὁ κωδομεῖτε εἰς τὸν ἕνα. Apoc. 3. v. 2. Angelo Ecclesiæ Sardicenis dicitur, σημεῖον τὰ λουτρά, nec tamen in Ecclesia Sardiceni, sed Romana principem & caput Ecclesiæ tunc quærendum fuisse Bellarm. docet. 4. Quod ex officio confirmandi non possit principatus vel dominatus aliquis inferri, tam evidens est, ut ipse Brugens hæc sibi in vicem opponat. Mandat, inquit, Christus Petro officium non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei & caritatis. 5. Mul-

tò minus ex mandato confirmandi munere infallibilitas absoluta inferri potest, alias sequeretur, omnes omnino fideles illud donum infallibilitatis habere, cum omnes jubeantur sese invicem in fide σημεῖαι. 6. De ejusmodi confirmatione Christus hic loquitur, quæ respicit fidem justificantem & salvificam, ut patet ex precedentibus. Satanæ expetivit, ut cribraret vos, ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Inde Brugens in h. l. scribit, sub officio confirmandi in fide intelligi omnis generis confirmationem pertinentem ad salutem, cujus fundamentum est fides. At fatentur ipsimet Pontifici, confirmationem in fide justificantem & salvificam non posse semper expectari à Pontifice, quando scilicet in peccatis gravioribus ipsemet hæret, sed tantum in fide doctrinæ, de qua hoc loco non esse sermonem ostendimus superius. 7. Ecclesia quidem semper indiget aliquo, à quo confirmetur, sed hoc officium nec soli nec semper Episcopi Romani præstant. Non soli, quia Spiritus sanctus in verbo Evangelii loquens & per ministerium Ecclesiasticum efficaciter agens hoc confirmationis munere salutariter fungitur. Nec semper, quia Pontifices Romani inventi sunt apostatæ à fide tam doctrinæ quam cordis sive salvifica, quomodo ergo tunc potuerunt alios in fide confirmare? 8. Petrus suo exemplo adhuc hodie omnes fideles confirmat, quamvis non amplius in persona propria vivæ vocis prædicatione eos confirmet. Conversio enim Petri ejusque in gratiam receptio confirmat nos, quod Deus in gratiam nos sit recepturus & peccata etiam gravissima nobis condonaturus, si exemplo Petri seriam penitentiam agamus. Ergo ex eo, quod confirmatio semper necessaria est Ecclesiæ, non potest inferri, ad Pontif. Roman. tanquam Petri successores & quidem solos hoc confirmandi munus & cum illo primatum Monarchicum à Petro esse propagatum. 9. Confirmatio illa, de qua Christus hic loquitur, fit verbo Evangelicæ consolationis, exemplo piæ conversationis, adjutorio devoræ orationis &c. at nullum horum vel Monarchicum dominatum vel absolutum in fide infallibilitatem præsupponit. Colligitur autè ex his verbis 1. Magnos quandoq; viros in magnos incidere lapsus, si suis nimium confidant viribus. 2. Deum ejusmodi lapsus ideo permittit, ut & de seipsis humiliter sentiant & proximos similiter lapsos benignius tractent. Leo serm. 9. de pass. Dom. Ob hoc, sicut apparet, Petrus hæstare permittitur, ut in Ecclesiæ principe remedium penitentia conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuisset evadere. Theoph. in c. 14. Marc. Ideò Dominus permittit, ut humana Natura suam prodat imbecillitatem. Omnino enim potuisset illos Dominus servare & Petrum maxime, sed permisit, ut ne in nobis ipsis consideremus. 3. Lapsus in peccatum propositum esse penitentia remedium. Tu conversus, à peccatis scilicet, confirma fratres. 4. Conversionem illam non esse opus humanarum virium multò minus operum humanorum meritum, sed gratuitum Dei donum propter Christi meritum & intercessionem prolapsus in peccatum obtingens, præcedit enim hoc loco, ego rogavi pro te, & tu conversus &c. Si nec Petrus nec reliqui Apostoli suis viribus potuerunt in tentatione subsistere, multò minus suis viribus ex

bus ex lapsu potuerunt eluctari. Si nec Petrus nec reliqui Apostoli habuerunt in suis viribus, per quod converterentur, sed beneficium illud à Deo in Christo & propter Christum acceperunt, quomodo alii suo merito converti poterunt? Quisquis ergò ad Deum conversus est, divinæ bonitati acceptum illud ferat. 5. Proinde consideratio lapsus Petri & aliorum Sanctorum excitet & augeat in nobis filialem timorem & excutiat carnalem securitatem; consideratio conversionis & in gratiam receptionis excitet & augeat in nobis filialem fiduciam in Dei benignitatem. 6. Nec tamen per se, sed mediante divinâ gratiâ lapsus Sanctorum hanc utilitatem afferunt, quod ipsorum conversio confirmat peccatores, ut sciant etiam post gravissimâ peccata spem veniæ & salutis sibi relictam esse, modo per veram & seriam poenitentiam ad Deum redeant. 1. Tim. 1. v. 16. 7. Peccatores ergò in gratiam à Deo recepti summo studio pro ratione officii laborent, ut etiam proximus convertatur & ad Deum conversus in fide confirmetur. Omnibus quidem incumbit *infirmos in fide suscipere* Rom. 14. v. 1. Gal. 6. v. 1. interim præcipuè illis, qui in peccata graviora prolapsi, eorundem condonationem à divina benignitate impetrant, illi utpote propriâ experientiâ de humanarum virium infirmitate & divinæ gratiæ ubertate edocti in suscipiendis infirmis promptiores ac paratiorum esse debent. 8. Ad hanc *περοδυσιαν* impellere eos debet proximi in peccata prolapsi & ad Deum conversi conditio. Frater est, ergò moderatè ac paternè tractandus. Benignissimus Pater cœlestis, qui in Christo nobis peccata nostra condonavit, etiam proximi in peccata prolapsi & serio conversi Pater est. Ergò eodem modo cum ipso aget, quo nobiscum agit, ac proinde erigendus & confirmandus est hoc consolationis fulcro, quod gravitas peccatorum non sit impeditura, quò minus in vera conversione consequatur à Deo remissionem peccatorum, cum Petro & aliis Sanctis & nobis ipsis quamvis gravissimè lapsis, tamen respicientibus & ad gratiam in Christo promissam fide confugientibus omnia peccata dimiserit. Expendimus hæc *generalem lapsus prædictionem* omnes Apostolos concernentem, sequitur jam *prædictio specialis* ad solum Petrum pertinens, cui & tempus & species lapsus à Christo prædicatur. In ea itidem duo consideranda veniunt. 1. *Prædictionis occasio*. 2. *Ipsa prædictio*.

1. Occasio prædictionis fuit *repetitio Petri præsumtuosa pollicitatio*. At ille dixit: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Syrus emphaticè reddidit. *Domine mi, tecum paratus sum ego & ad locum vinctorum (ad carcerem) & ad mortem*, ubi aposiopesis serii affectus. *Ich wil mit dir in Noth und Tod*. Victor in c. 14. Marci confidentiam illam in Petri animo ex eo ortam statuit, quod ab anxia illa cura & solitudine, quâ antea propter prædictionem futura prodictionis premebatur, sese liberatum videret, qui enim prodictionem moliebatur, jam patefactus erat. Alii confidentiæ hujus causam quarunt in Christi intercessione, quod Christum pro se rogasse, ne fides deficeret, audiens, magnam de sua constantia fiduciam animo conceperit. Illud certum est, quod hæc promissio Petri non fuerit ex fide & Spiritu profecta, ac proinde laude digna, cum cir-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Contin. pars tertia.

cumstantia textus & secutus postea eventus ostendant, ex propriarum virium confidentia eam fuisse ortam. Dicendum igitur, quod Petrus hanc præsumtuosam pollicitationem opposuerit prædictioni Christi de cribratione Satanae, audiens enim se unâ cum reliquis Apostolis à Satana oppugnandum, inque cribro agitandum, existimat suâ constantiâ hoc indignum esse, & plus æquo de viribus suis præsumens plura & majora promittit, quàm ex se præstare poterat & reipsâ præstiturus erat. Videtur quidem ipsum Christo constanter adhærendi & in quibusvis periculis persistendi propositum laude dignum, sed quia illud non proficiscitur ex fiducia in divinas promissiones, non ex spiritu, sed ex carne, ideo Petrus multipliciter in hac præsumtuosa pollicitatione peccat. 1. Christo contradicit, quem tamen *Dominum & Magistrum* suum vocat. Christus prædixerat in cribro Satanae ipsum æquè ac alios ita agitandû, ut intercessione indigeat, ne fides ejus deficiat, debuisset igitur Petrus hujus prædictionis veritatem & virium suarum infirmitatem agnoscere, coram Deo sese humiliare, & sollicitè rogare, ut virtute intercessionis Christi in fide conservetur, sed quantò clariùs de imminente periculo Christus concionatur, tantò confidentiùs vires suas jactat, adeò ut ipsi Christo contradicat & tantum non mendacii eum arguat. *Domine*, inquit, nescio, quod Satanae cribrum mihi narres, ego verò indubitanter tibi hoc affirmo, quod *paratus sum in carcerem & mortem tecum ire*, id est, extrema quævis & ipsam etiam mortem *τὴν φοβερὴν πάντων φοβερύτατον* subire, quàm abs te quavis ratione discedere, teque solum sub acie novaculæ deferere. 2. In se & suis viribus, non in divino auxilio & Christi intercessione confidit. *Ego*, inquit, *paratus sum*, q. d. non opus est, ut pro me intercedas, mihi & animi & virium plus satis suppetit. Debuisset potius dicere, *Domine*, agnosco meam infirmitatem, tu verò fac me Spiritu tuo paratû, ut in quovis periculo imperterritus lateri tuo constanter adhæream. Gloss. ordin. in h. 1. *Conscius presentis affectus & ferventis fidei, sed nescius casus futuri non credit se à Deo posse deficere*. 3. Reliquis Apostolis sese præponit. Tacentibus enim reliquis, quibus æquè ac Petro Satanae cribratio prædicta erat, ipse solus gloriatur se paratum esse in carcerem & mortem cum Christo ire, q. d. de reliquis quod polliceor, non habeo, de me autem hoc certò polliceri possum, quod nullum periculum, nullum supplicium futurum sit tantum, ut à latere tuo me avelere possit. Hanc fuisse Petri mentem manifestiùs patet ex eo, quod postea, quando Christus post egressum è cœnaculo prædictionem scandali & futuri lapsus repetit, Petrus pollicitationem suam sic informat. *Etiamsi (reliqui Apostoli) omnes in te scandalizati fuerint, ego tamen nunquam in te scandalizabor*. Videmus igitur in hac Petri repetita pollicitatione 1. Carnis nostræ corruptionem. Nobis omnibus post lapsum innata est propriarum virium confidentia. Infirmi sumus & tamen infirmitatem nostram ob cœcitatem illi conjunctam non agnoscimus. In Naturæ corruptione omnes æquales sumus, & tamen aliis nos præferre non dubitamus. 2. Inanem ejusdem gloriationem Petrus carnaliter sapiens & ex carne loquens, cum adhuc esset extra periculum, in promissis satis liberalis est,

K k k k k 3

est,

est, in carcerem ac mortem ire se paratum esse gloriatur: sed imminente jam periculo non expectat, donec ad carcerem, nedum ad mortem pertrahatur, sed unius mulierculæ & quidem vilis ancillulæ voce perterritus Magistrum suum negat. Idem carnis affectus est in omnibus, nisi per Spiritum sanctum mortificetur. 3. Veram procedendi rationem. Parati omnino esse debemus durissima quæque, ipsam etiam mortem pro Christo subire, sed hæc *προσῆμα* non debet niti propriis viribus, sed Dei virtute & Christi intercessione: *Fides*, inquit Lutherus, *est hominis interioris non exterioris*, jam verò is est homo interior, qui cordis sui fiduciam unice ac penitus in Deo collocat. Sibi fidere non est *πίστεως*, sed *ἀπιστίας*.

2. Ipsa prædictio specialis sic habet: *At ille* (scilicet Jesus, quod in textu Syriaco apud Lucam additur) *dixit: Amen, amen dico tibi, non canet hodie gallus, priusquam ter negaveris te nosse me.* Præmittit Christus speciali prædictioni usitatum asseverationem: *Amen, amen dico tibi*, propter præsumtuosam Petri pollicitationem, ut Petrus 1. Rem seriam agi intelligat, prædictionem de futura abnegatione veram esse credat ac Magistro suo contradicere desinat. 2. Ut virium suarum infirmitatem agnoscat & humilius de se sentire discat. 3. Ne reliquis Coapostolis sese præferre pergat, sed quia se reliquis gravius lapsurum intelligit, infra alios sese verâ cordis submissione abjiciat. 4. Ut auxilium ac misericordiam Dei serius gemitibus imploret, ne in abnegationis peccato perseveret & pereat, sed virtute Spiritus sancti ex eo eluctetur & salvetur. De his omnibus Christus Petrum admonet, quando ad ipsum conversus ait: *Amen, amen dico tibi &c.* Ego, quem Magistrum ac Dominum confiteris, cui proinde meritò fidem habere debes; ego, qui sum ipsa veritas, mentiri nescia, cui proinde contradicere non debes; ego, inquam, quem *Filium Dei viventis* confessus es Mat. 16. v. 16. verbis claris & expressis tibi dico, quod prius figuratis & obscurioribus prædixi; in specie jam aperio, quod prius in genere prædixi. *Non canet hodie gallus, priusquam ter abneges te nosse me*, ut est apud Lucam, vel quod idem est, *donec ter me negaveris*, ut est apud Johannem. Per *Φωνήν ἀλεκτορος* intelligitur gallicinium, sicut etiam *Φωνήν* apud Aristotelem de palumbe usurpatur. Sensus igitur est. Hac ipsâ nocte, antequam circa ejus mediū gallus vocem edat, me negabis, & quidem tribus distinctis vicibus, tantum abest, ut animam tuam pro me positurus sis. August. tract. 66. in Joh. *Qui mihi promittis mortem tuam, ter me negabis vitam tuam.* Pro *πρὶν ἢ* priusquam apud Lucam in quibusdam Codd. legitur *ἕως ἔ* usquequò, sed procul dubio ex Johanne illud eò traductum, cum sine ulla sensus variatione legi possit *πρὶν ἢ*, ut est in probatissimis Codicibus. In verbis apud Lucam *πρὶν ἢ* τρις ἀπαρνήσῃ μὴ εἶδέναι duplex occurrit ellipsis, prior accusativi *μὲ*, ut patet tum ex genuina significatione verbi *ἀπαρνήσῃ*, tum ex collatione cum loco parallelo Mat. 26. v. 34. posterior participii *εἰπόντων*, quæ Hebræis perquam usitata, *non canet hodie gallus, priusquam ter me abnegaveris, dicens quod non noris me.* Compositum *ἀπαρνήσῃ* quibusdam poni videtur pro simplici *ἀρνήσῃ*, sed rectius dicitur, quod negationis vehementiam & atrocitatem, utpote cum obtestatione divini Numinis & sui ipsius exe-

cratione conjunctam Christus hoc verbo exprimere voluerit, cum sit significantius quam simplex. *Per negabis*, prorsus negabis me. Plutarchus in Pericl. τὸν Ἀνδρομαχίτην φόνον ἀπαρνήσῃ μὲνοι eadem *pernegantes*, prorsus inficiantes. Exprimuntur etiam ipsa verba, quibus Petrus in negatione postea usus est. *Negabis te nosse me*, id est, quod sis meus discipulus, per notitiam enim hoc loco intelligitur non generalis aliqua notitia, de qua minime quærebant, qui Petro negandi occasionem dabant, sed specialis amicitia ac intima familiaritas, qualis solet esse inter præceptorem & discipulum, sicut etiam in Latina lingua notitia interdum familiarem amicitiam denotat. Omnia ergo in hac prædictione lapsus sunt emphatica. Primò enim Christus docet, falsam esse Petri promissionem, quod animam suam pro ipso positurus sit nec verituras in carcerem ac mortem cum ipso ire. Secundo non tantum ipsi derogat promissi prius facti veritatem, sed insuper ipsi tribuit contrarium negationis actum, quod non solum non sit in mortem cum ipso iturus, sed insuper ipsum negaturus. Tertiò prædicit ipsi, quod non solum æquè graviter quàm cæteri lapsurus sit, ipsum deserendo, sed etiam gravius reliquis, quibus temere se præposuerat, lapsurus, ipsum insuper negando. Quartò exprimit negationis vehementiam & atrocitatem per verbum *ἀπαρνήσῃ*. Quintò ipsa negationis verba formalia recitat. *Dices, non novi hominem.* Mat. 26. v. 72. & 74. Marc. 14. 71. Luc. 22. v. 57. Sexto determinat negationis tempus & quidem tum ingenere, *negabis me hodie*, id est, hac ipsâ nocte, ut exponitur in repetitione hujus prædictionis. Mat. 26. v. 34. tum in specie, *negabis me priusquam gallus canet*, id est, tam cito illud futurum, ut gallicinium sis me negando præventurus. Septimò numerum negationis exprimit. Non semel tantum, sed etiam secundò ac tertio me negabis. Quomodo verò *ἐναρτισάμενος* illud conciliandum, quod in repetitione hujus promissionis apud Marcum dicitur. *Antequam gallus bis canet, ter me negabis*; apud Matthæum verò eodem modo, quo hoc loco. *Antequam gallus canet, ter me negabis*, de eo inferius videbimus. Colligitur autem ex hac speciali lapsus Petri prædictione. 1. *Christi majestas.* In luce divinæ suæ omniscientiæ videri non solum futuram Petri negationem, sed etiam momentum temporis, quo abnegatio erat secutura, & numerum, quoties erat repetenda. Hæc omniscientia futurorum merè contingentium exactissimè præscia evidens argumentum est divinæ majestatis Christi, quæ etiam assumptæ ipsius carnis personaliter communicata est, quæ; in statu exinanitionis liberè usus est, quoties & quando voluit. 2. *Christi Philanthropia ac benignitas.* Prævidebat Petrum gravissimè lapsurum, nec tamen eum propterea repudiat, sed benevolè ipsum tractat, dum non solum hæc prædictione contra lapsum eum armat, sed etiam in ipso lapsu amicissimo suo intuitu ad pœnitentiam ipsum revocat. Glossa ordin. in h. l. *ille, qui novit, quid sit in homine, si, ut Deus modum, tempus, numerum negationis ejus prædicit, & sicut misericors, auxilium suæ defensionis promittit.* 3. *Christi veritas.* Prædictioni huic eventus exactissimè respondit, sicq; complementum ipsum veritatem verborum Christi luculentè comprobavit. Augustin. serm. 124. de temp. *Vernus & celestis Medicus ve-*

nam cordis inflexerat, & quâ horâ tentationis pondus vel infidelitatis frigus venturum erat, prædixerat. Medicus prædicebat & egrotus negabat, sed ubi ad horam ventum est, falsum fuit, quod promiserat homo, & verum apparuit, quod prædixerat Deus. Rectè tamen monet Cyrillus lib. 9. in Joh. c. 28. prædictionem hancce Christi non fuisse lapsum causam. Nemo, inquit, putet propter verba Christi defecisse Petrum atq; negasse. Nullam enim vim inde Petrus passus est, sed qui futura ut præsentia videt, quod futurum erat, discipulo prædixit. Pulchrè Ambrosius in h. l. Instruitur Petrus ad cavendum, non cogitur ad negandum. 4. Hominum, etiam renatorum, infirmitas. Adherent ipsi etiam renatis ac sanctis peccati in carne adhuc habitantis reliquiæ, ob quas ad lapsum proclives sunt, & in gravia peccata prolabantur, nisi divinâ manu sustententur. 5. Gratiæ divinæ necessitas. Propter adherentes illas peccati reliquiâs ipsi etiam renatis ac sanctis gratia divina, per quam à lapsibus præserventur, quotidie est necessaria. Augustin. dicto loco: *Quid homo sine gratia Dei possit, timor beati Petri Apostoli evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium non addito etiam Dei adiutorio promiserat se pro Domino moriturum, sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? Et nisi quod ait. Omnis caro fenum. 6. Causarum, propter quas Petrus in gravem illum abnegationis lapsum incidit, dixerunt. Ex parte Petri causæ lapsus fuerunt, humanæ Naturæ corruptio, carnis infirmitas, ignorantia Scripturæ & divini consilii de redemptione generis humani per Messiam passionem & mortem, præconcepta falsa opinio de terreno Messie regno, cui è diametro adversantem passionem & mortem Christi videns scandalizatur, propriarum virium confidentia, inobedientia verbis Christi fidem derogans, factus aliis sese præferens. Ex parte diaboli causæ lapsus fuerunt nocendi cupiditas, insidia, potentia, studium oppugnandi Christi regnum &c. quæ omnia Christus breviter complectitur, quando dicit: *Satan expetivit vos, ut cribret sicut triticum.* Deo autem, apud quem & à quo nulla est iniquitas, non potest causa huius lapsus tribui, quod tamen & Calviniani & Photiniani faciunt, ut suo loco ostendimus. Quamvis enim ipse lapsum præsciverit, ut patet ex prædictione Christi, quamvis etiam lapsum illum permisit, & ad salutares fines direxerit, ex eo tamen inferri nequit, quod lapsus illius causa extiterit. Neq; enim decreto quodam absoluto & infallibili Petrum coëgit, ut laberetur; neq; interno suo in-*

stinctu eum impulit, ut laberetur; neque lapsum illum approbavit, vel eo delectatus fuit, sed lapsum illum permisit, ut in Petro fiduciam propriarum virium deprimeret, ac quid Natura sine gratiæ adiutorio posset, omnibus in ipsius exemplo ostenderet, quin & Petrum admoneret, ut peccatores humaniter & benevolè tractaret. Augustin. tract. 66. in Joh. *Quid aliud pertinuit ad Doctorem Salvatoremq; nostrum, nisi ut nobis nequaquam de se quinquam presumere debere, in ipso primo Apostolorum demonstraret exemplo?* Serm. 124. de temp. Ideò B. Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine gratia Dei prævalere, & ut Ecclesiæ rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur &c. Idcirco divina providentiæ secretum ita temperavit atq; permisit, ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quod erga peccantes duriores sententiam proprii casus intuitu temperaret. 7. Muneris nostri æquitas. Discamus Petri exemplo infirmitatem nostram agnoscere, inanem propriarum virium fiduciam abjicere in Dei gratia, & adiutorio omne perfugium nostrum statuere, nihil nobis, omnia Deo tribuere &c. Cyrillus d. l. Hoc loco moneri nos arbitror, non oportere quicquam Deo à nobis promitti, ut certum, quasi nos Domini rerum essemus, partim quia quod posse à nobis fieri credimus, vires nostras nunquam excedit, partim quia non sine arrogantie crimine hoc nos aut illud facturos dicimus &c. Voluntas apparatusque animi nobis ad bene agendum semper inesse debet, viam autem potestatemque agendi, quam non habemus, temerarium est nobis attribuere. Et quia gallum hoc loco Christus quasi præceptorem & monitorem Petro constituit, cuius cantu ipsius jactantia, quæ verbis Christi præceptoris sui contradicere ausus fuerat, confunderetur, (sicut etiam alibi ad exempla obedientiæ in brutis considerata ablegantur, qui Spiritus sancti in verbo loquentis informationem repudiant, Esa. 1. v. 3. Jer. 8. v. 7.) ideò quoties galli cantum audimus, moneri nos patiamur de carnis nostræ infirmitate ac de ineffabili Dei bonitate, quæ infirmitatem illam tolerat, sublevat, condonat, corroborat, Psal. 37. v. 26. Psal. 145. v. 14. 2. Cor. 12. v. 9. 1. Petr. 5. v. 10. &c. Sed hac de re, ut & aliis, de quibus lapsus Petri nos admonet, suo loco inferius plura.

*In cribro Satana quatuor, dulcissime Jesu,
Ab prohibeto, fides ne mea deficiat.*

CAPUT CLXXV.

CHRISTUS PRÆDICTIONE IMMINENTIS PERICULI
DE SPIRITUALIS ARMATURÆ PRÆPARATIONE APO-
STOLOS SUOS ADMONET.

LUC. 22. v. 35.

RATIO ORDINIS.

Prædictioni abnegationis in cœnaculo factæ subjicit Lucas prædictionem imminentis periculi, quâ de spiritualis armaturæ præparatione Christus Apostolos suos ænigmaticè admonere voluit. Neque quidquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod huic prædictioni præmitti debeat. Valedictoria enim concio, quam Johannes prædictioni abnegationis subjicit, secuta est hanc ipsam imminentis periculi prædictionem, ut series Historiæ apud Johannem ostendit. Potest autem hæc ordinis ratio de quibusdam utiliter nos monere. 1. Christus paulò antè apud Johannem dixerat: *Filioli adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me, & quòd ego vado, vos non potestis venire*, quibus verbis de passione & morte proximè sibi imminente vaticinatus fuerat, jam igitur pergit prædicere mala ab hostibus sibi inferenda, inq; eorum societatem etiam Apostolos venturos esse asserit, ut contra illorum insultus eosdem præmuniat. 2. Quod Petro in specie prædixerat, illud certâ ratione in genere ad omnes Apostolos applicat, proinde sermone ad omnes converso clariùs explicat, quid per *cribrationem* à Satana ipsis metuendum intellectum velit, videlicet quod quamvis non sint eum æquè ac Petrus negaturi, tamen ob periculi gravitatem ipsum deserturi. 3. Prædixerat *interiores tentationes*, quibus Apostoli in Satana quasi cribro agitati tempore passionis & mortis suæ erant oppugnandi, jam prædicat *exteriores pugnas*, quibus cum hostibus ipsis confligendum foret, si humanis præfidiis ac mediis res peragi debeat. 2. Cor. 7. v. 5. *Inius pavores, foris pugnae*. 4. Postquam intercessione suâ contra imminentes tentationes in Petro eos præmunierat, jam porrò confirmat eos adversus difficultates, ob indigentiam victus

& defectum protectionis in ministerio Evangelizandi ipsis imminentes. Ideo namque ad divinæ circa ipsos providentiæ in priore ad Evangelizandum ablegatione luculenter demonstratæ experimentum eos remittit, ut adversus difficultates in posteriore ad Evangelizandum ablegatione fecuturas ipsos præmuniat, ac quomodo ad illas fide, patientiâ & precibus sese comparare debeant, paternè ipsos instituit. 5. In Exhortatione ad dilectionem proposuerat illis suum exemplum. *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos &c.* Hanc suam erga discipulos dilectionem etiam eo demonstraverat indicio, quod de victu & amictu, de protectione & necessariis vitæ subsidiis abunde eis hactenus prospexerat, idè ad hoc dilectionis indicium & effectum eos revocat. 6. Christus generaliter & obscuriùs de sua passione & morte vaticinatus fuerat verbis illis. *Paulisper adhuc vobiscum sum, & quòd ego vado, vos non potestis venire*. jam porrò in specie & manifestiùs ipsum mortis genus exprimit, videlicet quòd in medio duorum latronum crucifigendus sit verbis ex Esaiæ Prophetia petitis: *Et cum iniquis deputatus est*. 7. Christus variis argumentis ad mutuam dilectionem Apostolos superiùs fuerat exhortatus, jam novum subjicit exhortationis argumentum. Non ampliùs eo modo, quo hactenus vobis ero præfens, suppeditando omnia necessaria, & contra hostes vos defendendo, nec mundus vos magnopere curabit, ergo necessarium erit, ut vos mutuo diligatis. 8. Apostoli paulò antè inter se de primatu contendebant, sed Christus pericula imminentiâ prædicens hoc voluit dicere. *Non est tempus ambitionis, sed periculorum & cædium*. Nam *Ego Magister ad mortem abducor*, Theophylactus in hunc locum.

PRÆDICTIO IMMINENTIS PERICULI AC DE SPIRITUALIS
ARMATURÆ ADVERSUS ILLUD PRÆPARATIONE ADMONITIO.

LUC. 22.

35. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ὅτε ἀπέσειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλαντίων καὶ πήρας καὶ ὑποδημάτων, μή τι ὑστερήσατε; οἱ δὲ εἶπον, ἕδενός.
36. εἶπεν ἂν αὐτοῖς, ἀλλὰ νῦν ὃ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω, ὁμοίως καὶ πήραν καὶ ὃ μὴ ἔχων, πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν.
37. λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐν τῷ τῷ γεγραμμένον δεῖ τελεθῆναι ἐν ἐμοί, τὸ καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογιάθη, καὶ ὃ ὅτι παρὲς ἐμὲ τέλει ἔχεται.
38. οἱ δὲ εἶπον, Κύριε, ἰδὲ μάχαιραὶ ἅδε δύο. ὃ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, ἰκανόν ἐστι.
35. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera & calcamentis, nunquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.
36. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.
37. Dico enim vobis, quoniam adhuc quod scriptum est, oportet perfici in me: Et cum iniquis deputatus est: etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.
38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis, satis est.

Exegetis